

Q. N. 395, 28.

X 1903378

II n  
3807

Q. D. B. V.

de

ORIGINIBVS

ET

INCREMENTIS

BRUNSWICI

PRÆSIDE

CASPARE SAGITTARIO

SS. THEOL. D. HISTOR. P. P.

*publice disputabit*

DIE IANVARIII

MARTINVS KRVGGER

BRUNSWICENSIS

AUCTOR.

J E N Æ

PRELO NISIANO. A. Æ. C.

M DC LXXIV.



SERENISSIMO DVCI  
AC DOMINO

DOMINO

RVDOLPHO AVGVSTO

DVCI BRVNSWICENSI

AC

LVNEBURGENSI

PATRIÆ PATRI OPT. MAX.

QVALESCVNQVE

HAS

BRVNSWICENSIS HISTORIÆ

PRIMITIAS

HVMILLIME CONSECRAT

MARTINVS KRUGER.

# CASPARIS SAGITTARII

SS. THEOL. D. HISTORICAR. P. P.

## Epistola.

**F**actum bonum! mi KRUGERE, quod cum in argumento quodam historico volueris elaborare, præ reliquis omnibus patriæ tuæ historiam delegeris. Non potuit non hoc institutum summæ mihi esse voluptati, utpote quantum nobili ac vere inclytæ huic urbi debeam conscio. Enimvero Brunswicum tuum & B. Patrem meum Martiniani Lycei per quam plures annos Rectorem habuit de scholastica pube præclare meritum, ac ob id quoque valde æstimatum, ac ægre dimissum: & B. mater mea civis fuit Brunswicensis, patre nata Joachimo Jordano, Pastore ædis S. Catharinæ, viro & doctrinæ claritate & morum innocentia conspicuo. Taceo B. fratrem meum Thomam in hac Sala-

na quiescentem, ac B. sororem Elisabetham,  
Brunswici natos, & hos omnes in laudata urbe  
variis beneficiis affectos. Avunculum vero me-  
um, Hieronymum Jordanum, Virum non medi-  
ca tantum arte excellentem, sed totius encyclo-  
pædiæ literariæ apprime gnarum præterire ne-  
queo; quippe qui dulcissimæ hujus patriæ amo-  
re ductus, relicta Göttinga in ferali illa peste,  
Brunswicum concessit: sed, postquam non paucos  
ex orci faucibus liberaverat, non sine ingenti  
bonorum omnium dolore, ac publicæ rei damno  
in illis angustiis occubuit. Quæ tamen mihi si  
defuissent causæ, vel sola SERENISSIMO  
PATRIÆ PATRI RVDOLPHO AVGVSTO,  
Domino meo clementissimo, ac Mæcenati Opt.  
Max. debita pietas me inflammasset, pro virili-  
te juvandi, tuaque cœpta secundandi. Præ-  
terea munus meum id exigebat professorium, ac,  
quod absque jaçtantia dixerim, natura mea ad  
inser-

inserviendum bonis mentibus studiosæ juven-  
tutis nata. Atq; o utinam hic plures id agerent,  
atq; in describendis patriæ rebus diligentem na-  
varent operam! certe quicquid a me profisci pos-  
set vel præsidii vel adjumenti, id omne citra pri-  
vati commodi respectum, cum summa animi vo-  
luptate illis dedicare paratus essem. Quanto au-  
tem cum publicæ rei fructu hoc fuerit conjun-  
ctum, non ipse modo intelligo, sed una mecum a-  
lii me doctiores, & in illustri etiam dignitate  
constituti viri, qui hanc historiæ partem propter  
incredibilem in sacris æq; ac civilibus usum aliis  
nō dubitant præferre. Quæ cum ita se habeant,  
ac porro in his originibus ac incrementis patriæ  
colligendis & conscribendis non mediocrem po-  
sueris industriam, ex animo Tibi gratulor, ni-  
hilque magis voveo, quam ut, quæ cœpisti, stre-  
nue prosequaris, ac cum tempore universam pa-  
triæ historiam, nobis exhibeas. Fiet id com-  
modius

modius, si cum bona Parentis ac Patronorum  
voluntate per aliquot annos in Salana manse-  
ris, quodque nunc meo sub præsidio, proprio in-  
posterum Marte feceris, adeoque, quod brevi a  
me tibi dabitur Doctoris Philosophiæ elogium,  
cum singulari tua laude tuorumque voluptate  
defenderis. Quod reliquum est, ex animi senten-  
tia precor, ut & istæ Brunswicensis historiæ pri-  
mitiæ, & ceteri conatus tui honestissimi, una cum  
sacris, quibus te mancipasti studiis, bene ce-  
dant ac feliciter. Vale, &, quod facis,  
me ama.



§. I.



RVNSVVICVM a Ducibus Saxoniae condita, per Duces sui nominis subinde aucta & ornata, sed iisdem non raro adversa, ac prope sine Duce, nostra demum aetate in ordinem redacta, ac Serenissimo Duci Brunswico-Luneburgensi, Domino RVDOLPHO AVGVSTO, Patriae Patri Opt. Max. *Remigio Altissimi* fuit reddita.

II. Inclutæ hujus urbis natales & incrementa paulo curatius ut peruestigemus, debita patriæ jussit pietas. Sponte currenti calcar addidit Cl. Præceptor meus Caspar Saggittarius: quippe qui matrem Brunswici natam, patrem Martinianæ Scholæ per complures annos Rectorem, cognatos variis ibi beneficiis affectos agnoscit, ac ob id sibi quoque gratissimam fore operam meam significavit.

III. Nec in ipso limine diffiteor, ex copiosa laudatissimi viri pharetra sæpe me sagittas mutuatum, hoc est, ingenio, consilio, libris ejus fuisse adjutum. Nam his præfidiis destitutus vel totum diem jaculans, nec unquam tamen collineassem.

IV. Sed ab ovo, id est, a nomine, rem exordiemur: quod ipsum urbis conditorem nobis commonstrabit.

V. Compositum hoc esse, quis est, qui non intelligat? In posterioris tamen voculæ significatu mire dissentiunt, qui ejus origines inquisivere.

VI. Henricus Meibomius non suæ tantum Juliae, sed

sed totius Germaniæ eximium decus in *compendiaria Bardewici historia* a *vico* non absurde putat derivandam, cum Saxonum plures aliæ sapiant Latium: id quod Walafri-  
 dus Abbas Augiensis ab oculorum vitio dictus Strabo libro  
*de rebus Ecclesiasticis cap. VII.* partim ad Germanos in pro-  
 vinciiis Romanis militantes, partim ad sacra vix alio quam  
 sermone latino celebrata retulit. Atque hinc est, quod  
 scriptorum non exterorum modo, sed & indigenarum  
 plurimi Brunswicum fere semper *Brunonis vicum* salutent.

VII. Poetis facile indulgemus hanc licentiam: non  
 item oratoribus ac historicis: qui per ejusmodi elegantias  
 germanam vocum indolem infringunt, vitio Italis ac Gal-  
 lis perfamiliari.

VIII. Nos igitur *vico* excluso, *Wikum*, sive potius  
*Wik*, admittimus, certique sumus, significare potissimum  
*excurrentis fluvii, stagni, aut maris sinum.* In hanc rem  
 Albertus Krantzius de ipso agens Brunswico: *Bruno deve-  
 xiora elegit loca, ubi excurrentis fluvius sinum quendam fa-  
 ciebat, quem vernacula lingua Wyck appellamus.* Idem  
 Saxonæ lib. II. cap. XXXI. *Sinum excurrentis fluminis,  
 stagni, aut maris, Saxones sua lingua Wyck appellant. Inde  
 Brunswick.* Atque iterum in Metropoli lib. II. cap. III.  
*Civitas Brunswicensis, quasi Brunonis vicus, aut potius si-  
 nus, qui lingua Saxonum sonat Wick.* Nec aliter Beatus  
 Rhenanus Rerum Germanicarum lib. III. *Sciendum,  
 Wic sive Wig lingua Saxonum & eorum Germanorum, qui  
 circa mare habitant, significare sinum maris aut fluvii.*

IX. Huc accedit, quod vix repereris vicum vel oppi-  
 dum in hanc voculam finientia, quæ non vel ad fluminis,  
 vel stagni, vel maris sinum aut adhuc sint sita, aut olim  
 fuerint. Alterum illud necessum erat addere, quod ma-  
 nente



nente veteri vocabulo locorum quorundam situs mutaverit.

X. At quid tum facies Friderico Lindenbrogio, Wick per *lucum*, Hieronymo Henningesio & Olao Wormio per *asylum* explicantibus? quid Hadriano Iunio, de *statione secura, ubi conjunctioribus edificiis habitemus*, accipienti? quid Gvilielmo Cambdeno, *castellum* interpretanti?

XI. Responderim, prohibere nihil, quo minus vox una in plures abeat significationes, quæ tamen si minus fervierint proposito, jus ac fas esse in illa acquiescere, a qua majus & firmitus ipsi rei præsidium. Et vero cum noverimus Brunswicum ad sinum Obacræ (hæc Ocra est in Annalibus Francicis) conditum; non est cur ad remotiora abeamus.

XII. Vnum est quod opponi poterat, *Oldewvicum* pars civitatis Brunswicensis, cui potius a jurisdictione singulari, quam a sinu fluvii nomen videatur inditum. Et per vulgatæ censeo notitiæ, patriam meam in diversos *Wickbildos*, Oldewicum scilicet, Oldestadium, Hagen, Saccum & Niestadium distributam: quorum civilis usus licet hodie magnam partem sublatus, cum ipso nomine tamen perdurat ecclesiasticus, vel, si mavis, paroecialis.

XIII. Verum uti hæc significatio a Johanne Gryphiandro in eleganti Commentario Historico-Juridico de *Veichbildis Saxonis* luculenter comprobata, mihi non est ignota; dubitaverim tamen, an ipsum patriæ meæ *Oldewvicum* ab ista nominis nota sit profectum. Quid enim si dixerimus, hanc ipsam urbis portionem esse antiquissimam, & ad sinum Ocrae primum positam, reliquas cum tempore per successorum indulgentiam, & incolarum industri-

dustriam fuisse additas, & Weichbildio jure ornatas? Imo rem ita se habere, affirmat Krantzius sequentibus verbis: *Brunonis autem sinus eo in loco, ubi prima sunt jacta fundamenta, nomen aliquantum variavit, ut nunc vetus sinus, Oldevvyk vocitetur.*

XIV. Fac autem *Oldevvicum* a jurisdictione vicatim divisa, & nomen, & per hoc a reliquis vicis accepisse differentiam: non tamen consequens est, ipsum Brunswici nomen, quod diu ante natum, eosdem agnoscere natales.

XV. Plura de antiquo, & si composita exceperis, nunc ferme obsoleto vocabulo *Wick* coacervare non est animus: ne, dum ea, quæ in optimi doctoris mei Sagittarii *Historia Bardewicensi* de hoc argumento habentur, excerpere volui, exscripsisse videar. Ibidem vero inter reliqua etiam legeris, quomodo *Wvik* a *Wiken* introrsum cedere, queat derivari. Pro *Wiken* quia politior (ut volunt) dialectus enunciat *weihen*/ non mirum ex *Brunswif* natum *Braunschweig*: quamvis Serenissimo AVGVSTO, Principi vere augusto vix alia, quam antiquior scriptio placuerit.

XVI. Et id quidem optime. Nam BRVNONEM Saxoniarum Ducem hujus urbis medio fere sæculo nono esse conditorem, extra omnem controversiæ aleam positum existimo.

XVII. Saxoniarum Ducis titulo mactavi Brunonem: idque suo merito. Cave enim in illum impingas lapidem, quem olim in gratiam Brunswicensium meorum volutati majoris nominis quam doctrinæ Jurisconsulti, ac si hac tempestate nulli per Saxoniam fuerint Duces. Nam hanc opinionem Henricus Meibomius in brevi, sed limata *Demonstratione, Saxoniam etiam ante Hermannum Billingium suos habuisse Duces, adeoque a temporibus Caroli Magni*

gni

gni sub Imperatoribus Francicis, tam egregie confutavit, ut nec nodus aliquis, nec scrupulus manserint superstites.

XVIII. An isti Saxonæ Duces a maximo Caroli Magni adversario Wittikindo descenderint, dubium nonnullis fuit visum; non item Gobelino Personæ, qui de Ludolpho Brunonis patre, monasterii Gandersheimensis conditore in *Cosmodromio etate VI. cap. XLII.* diserte scribit: *Ipsè Luitbdolphus Dux Saxonie descenderat de stirpe VVidekindi Ducis Saxonie, qui tempore Caroli Magni fidem susceperat.* Consentiant Auctor de *fundatione quarundam Germanie Ecclesiarum* a B. Joachimo Johanne Madero in *Antiquitatibus Brunsvvicensibus* editus, itemque Krantzius *Saxonie lib. II. cap. XXIX.*

XIX. Ne dubites hunc Brunonem & ortum & nomen dedisse Brunswico, aliqua in eam rem afferemus testimonia. Primum erit M. Theodorici Engelhusii in Chronico: *A Brunone Brunsvvick civitas nomen habet.* Alterum Henrici Roslæ, Nienborgensis Saxonis ab eodem Engelhusio allatum:

*Nomen Brunonis qui fundator fuit urbis*

Non aliam autem urbem, quam Brunswicensem intelligere Poetastrum, in propatulo est. Succedit jamjam laudati Scriptoris de *fundatione Ecclesiarum Germanicarum: Bruno Dux urbem Brunsvvick fundavit.*

XX. Neque tamen id solus fecit Bruno, sed allecto in socium operis DANCKWERTO, sive Tanquardo fratre. Auctor anonymus, sed vetustus Chronicorum Ducum Brunswicensium. *Iste (Ludolphus Dux Saxonie) genuit tres filios, Oddonem, Brunonem & Tanquardum. Hi duo Bruno & Tanquardus civitatem Brunsvvick, sicut habetur in quibusdam Chronicis, fundaverunt.* Tide-  
ricus

sicus Einbeccensis in Poemate de Ducibus Brunswicensibus apud Engelhusium:

*Tanquardus, Bruno, fratres animo simul uno*

*Isti fundabant Brunswick, & situabant.*

Vt miseri pedes melius currant, lege *Bruneswick*. Nam sic quoque extulit Rosla in *Herlingsberga* poematio per Johannem Henricum Meibomium edito:

*Fusilis egregia qui Bruneswick stat in urbe.*

XXI. Laborem vero ita sunt partiti fratres, ut Danckwertus solius burgi factus auctor, quod ab eo *Danckwertstode* (*Tanckqvarderode*) nuncupatum. Visitur adhuc Brunswici in cathedrali aede S. Blasii lignea tabula, cujus superficiei membranaceæ quæ sunt inscripta sequens præferunt exordium. *Alse man schreff na Goddes Gebordt 861/ hefft Hertog Danckquarth tho Sassen erstlicke diße Worch bemühret/ unde Danckwarderode gebeten unde nomen laten.* Matthæus Dresserus de præcipuis Germaniæ Urbibus: *Frater Brunonis Danckwertus vel Tanquardus arcem ibidem condidit, quam de suo nomine Danckwerderodam appellavit.* Addo Meibomium, in Brunswicensi historia testem magni ponderis. Hic ad Gerhardi Stederburgensis Præpositi *de Henrico Leone historicam narrationem num. XLVI.* sequentia annotavit: *Duces Saxoniæ condita Brunsviga (cujus initium fecere Bruno & Tanquardus fratres, Ludolfi Ducis Saxoniæ filii) propter loci commoditatem ibi augustale habuerunt, cui a Tanquardo auspice nomen inditum Tanqvarderode, quasi dicas, Tanquardi novale. Est enim Rode, idem quod novale, id est locus erutis excisisque arboribus ac vepretis excoli habitarique ceptus. Atque hæc est vera loci denominatio: errant qui a matre Tanquardi Oda originem nominis arcessunt.*

XXII.

XXII. Imo si fidas laudatæ tabulæ, ipsa quæ hic primum constructa ædes sacra geminum cum burgo nomen accepit. Verba huc pertinentia §. LXI. afferemus.

XXIII. Addunt recentiores, templum S. Jacobi ab inclyto fratrum pari (aliqui solum memorant Danckwertum) paulo post fuisse constructum. Et superat hoc ipsum in alios quantumvis usus pridem conversum in foro ovario (auf dem Ehermarckt) ac vicinæ plateæ nomen (Jacob-Strate) reliquit. Georgio Fabricio hac de re constitit *Originum Saxoniarum lib. II.* scribenti: *Tangmarus trans Ocrum locum amplificat, & templum divo Jacobo sacrum erigit: qui locus Nueviga quasi novus sinus nostro tempore dicitur: ejus templi tantum extat turris in foro ab ovis appellato.*

XXIV. Johannes Cunradus Diterichus in *Henrici Aucupis* historia monuit, Tanquardum *Ecclesiam cathedralem S. Blasii* inchoasse: cujus rei mallem aliquem laudasset antiquum testem. Sed forte ex tabula illa ædis Blasianæ id quodammodo collegit.

XXV. Engelhusius & Auctor de *Fundatione Ecclesiarum German.* totam Brunswicum olim *Dankvvertsrodam* fuisse dictam autumant. Verum ut in nomine peccatum, ita in re ipsa fallunt lectorem. *A Brunone*, inquit, *Brunswick* civitas nomen habet, quæ tamen ab alio fratre *Tancwordo* scribitur in multis antiquis literis *Tancworde voërde*.

XXVI. Neque facile Alberto Krantzio crediderim, Brunswico & antiquitus nomen fuisse Danckwertswici. Verba ejus ex *Saxonia lib. II. cap. XXXI.* afferam. *Bruno excursum fluminis alterum, alterum Tanquardus non longo intervallo ædificiis honestarunt. Inde Brunswyck & Tan-*

B

quar-

*guardeswyck diu variata appellatione secernebantur. Nul-  
lum scilicet Krantzius fortassis legit vetustum scriptorem,  
qui Danckwertswicum pro Brunswico usurpaverit: nec  
insolens est Krantzio in his talibus ingenio aliquid tribuere.  
Quæ sequuntur, paulo meliora sunt: *Obtinuit autem Bru-  
no, ut solus oppido nomen relinqueret: frater autem arcem  
communivit vicino loco, quæ de ejus nomine Tanquerode di-  
ceretur.* Et sic forte pars novæ urbis, burgo scilicet vicina,  
fuit appellata. Quod insinuant dicta Chronici Ducum  
Brunswicensium: *Quædam pars ipsius civitatis, urbis  
scilicet, in antiquis privilegiis Tanquerode crebrius appel-  
latur.**

XXVII. Burgi Brunswicensis antiquum vocabulum  
in patria mea jam pridem obsolevit; non item Danckwert  
memoria, quam & ponticulus Ocræ instratus (*Danck-  
wertsteg*) a tot sæculis incorruptam servat.

XXVIII. Sic igitur habemus conjunctissimos fra-  
tres, Brunonem urbis, Danckwertum arcis conditores, eo-  
que simul obelo notamus crassum errorem Adriani Roma-  
ni inter Brunonem & filios Ludolphi distinguentem. Ita  
enim habet *Parvum* ejus *Theatrum Urbium*. Brunswiga  
*vel Brunswicum, item Brunopolis, vulgo Braunschweig*  
*cepta exstrui a filiis Ludolphi Ducis Brunswicensis, postea*  
*a Brunone perfecta, unde nomen deductum, quasi Brunonis*  
*wicus vel castrum.* Idem facit Georgius Brunus, sive quis-  
quis est auctor Indicis ad Opus Brunianum de *totius Vni-*  
*versi urbibus* Coloniae non CIOIO LXXVII. editum. Nam  
in ipso opere, ubi de Brunswico agit, tale *παρ' ἑαυτῶν* non  
deprehendas. Pro Danckwertō tamen, sive Tanquardo  
sufficit *Theodorum, qui ab aliis Theomarus dictus.* In eo-  
dem fere luto hæret Wolfgangus Justus in Excerptis Chro-  
nico-

nicorum *de origine celebrium urbium, arcium & monasteriorum*, libello germanico Francofurti anno CIOCLXVII. typis exscripto.

XXIX. Nono sæculo fere medio Brunsvvici fundamenta esse jacta supra diximus. Etsi vero in illo monumentorum antiquiorum silentio vix potest definiri, quo id sit factum anno, vero tamen similis est tabellæ Blasianæ inscriptio, quæ annum primum & sexagesimum præfert. Consentiunt in hac epocha, Georgius Bruin, Cyriacus 861. Spangenbergius, Elias Reufnerus, Matthias Dresserus, Sethus Calvisius, Petrus Bertius, Martinus Zeilerus. Et licet priorem annum numerent Chytræus & alii, levis hæc tamen fuerit differentia. Oppido sed magna foret, si qui in annum noni sæculi primum & vigesimum natales urbis retulissent: id quod *Chronici Saxonici cap. CIII.* monuit Spangenbergius: quo tempore cum vix lucem viderit Bruno, facile dispalescit hujus sententiæ falsitas.

XXX. Quin, quam condiderat urbem, magis magisque exornasset Bruno, dubium mihi relinquitur nullum. Sed fatum in prælio cum Danis (Normanni vocantur ab historicis) majores conatus stitit. Hæc namque gens ex vicinorum raptu quæstum faciens, transmissa Albi in interiora Saxonæ se penetraverat, ferro & igne omnia devastans. Bruno vim vi repulsurus, allectis aliquot Episcopis, & Comitibus sui Ducatus duodecim, circa Ebbeckstorpium (is est vicus clastro monialium postea nobilitatus) hosti factus obviam, sed viribus impar, victus, una cum illustribus sociis, magnaque promiscuæ multitudinis manu obtruncatus est. Sinisteriorem hanc Brunonis fortunam tangunt *Annales Francorum*, qui a Frehero editore vocantur *Fuldenses ad annum 1000CLXX.* Witichindus *Annal.*

*lib. I. Adamus Bremensis lib. I. cap. XXXI. Ditmarus Mers-  
burgensis lib. II. Hermannus Contractus interpolatus ad  
annum 1000. Helmoldus Chronici Slavorum lib. I.  
cap. VII. Albertus Stadenfis anno 1000. Chroni-  
con Mindense a Pistorio editum. (pag. 724.) Gobelinus  
Cosmodromii atate VI. cap. XL. & XLI. Pluribus profe-  
qvuntur Krantzius lib. II. Saxonie cap. XXXI. & lib. III.  
cap. III. ut & in Confutatione Legendæ fabulosæ de Bene-  
dicto Papa IV. martyrio coronato Hamburgi cum multis  
aliis Principibus, Episcopis & Nobilibus, & de Reliquiis  
Martyrum in Ebbeckstorp, monasterio virginum Ordinis  
S. Benedicti, sito inter Luneburgum & Brunswicum, vera  
historia: quod scriptum habetur in calce Metropolis,  
Georgius Fabricius Originum Saxonicarum lib. II. Sebastia-  
nus Munsterus Cosmographia lib. VII. cap. CCCCXXXVI.  
Johannes Isaacus Pontanus lib. IV. Historie Danica, Vbbo  
Emmius Historie rerum Frisicarum lib. V. Cyriacus Span-  
genbergius Chronici Saxonici cap. CVIII. de hac Brunonia-  
na clade affert sequentes rhythmos.*

*Ich bauet von erst Brunschwig die Statt/  
Die iren Namen von mir hat/  
Den Heiden war ich ganz gefahr/  
Bezwang mit Macht der Dänen Heer/  
Mit mir verdorben in Wasserflut  
Zween Bischöff und zwölff Graffen gut.  
Ganz schier das ganz Heer in gemein  
Gott wöll uns allen gnädig seyn.*

*XXXI. Veruntamen si standum his versiculis, non  
Danorum manu oppressus, sed aquis merfus fuisset Bruno.  
Scio quidem Ditmarum Episcopum scribere, Brunonem  
Ducem fluminis inundatione periisse; augere miraculum.*

*Chro-*



Chronicorum Brunsvvicensium scriptorum, ac si gloriosa de Danis habita victoria, cum ad sua rediret, inundatione gravi imbrum perierit. Sed quia circa Ebbeckstorpium, & in toto illius tractus Luneburgensi agro nullus ejusmodi fluuius major, cujus vorticibus tantus hauriri potuisset exercitus, comparet, tanta autem imbrum gravitas merito sit suspecta; ex male intellecta Witichindi narratione fabulam prodiisse conjicio. Dum enim is *repentina inundatione circumfusum* memorat Brunonem, quod de subitanea Danorum impressione capiendum, male nonnulli ad undarum molem videntur retulisse. Quid si & scriptores Saxonici Danorum tum nondum Christianorum gloriae invidentes talia fuissent commenti? Sunt & in reliquis hujus praelio circumstantiis, praesertim in Praesulum caesorum numero, scrupuli: de quibus eximendis, utpote ad Brunswicensia proxime non facientibus, pro tempore non ero sollicitus: jamque non parum operae in eo collocarunt in *Bardewicensi historia* Meibomius & noster Sagittarius, ac ille etiam in *Notis ad Witichindum*.

XXXII. Sic igitur inclytus nobilissimae urbs conditor pro aris & focus dimicans nobilem profudit spiritum IV. Non. Febr. anno reparatae salutis 1000CLXXVI. Diem hunc 867. nominat Ditmarus, annum vero ex eodem scriptore colligimus, qui jussu Ludovici Regis Brunonem hanc expeditionem suscepisse scribit. Nam quod eodem anno vita excefferit Ludovicus, in annum praesentis saeculi octogesimum, quem alii designant, haec clades referri nequit. Quod extremo sepulturae honore & ipse & illustres commilitones diu caruerint, facile licet animadvertere; ob timores Normannicos hoc pietatis officium nemine praestare auso: donec longe post institutum osilegium, ac reliquiae

in Ebbeckstorpianum cœnobium collatæ de nescio quibus martyribus fabulas pepererunt, a Krantzio recte confutatas.

XXXIII. Danckvverti a condito burgo quæ in utramque partem fuerit fortuna, me nescire fateor. Neque enim tanti est Dresserus, ut ipsi geminum cum Brunone fatum obtigisse asserenti absque vetustiori teste fidem habeam.

XXXIV. Jam ad Ottonem fratrem Brunonis & hæredem, adeoque novum Brunsvvicensis urbis dominium pergeremus; modo non manum injicerent, qui Brunsvvici fundamenta jam Caroli M. temporibus jacta, certe sub vici forma locum non plane fuisse incognitum asserunt. Enimvero si Marcellino illi fides, qui primi Verdensis Episcopi Suidberti vitam Gregorio Trajectensi Episcopo dicatam scripsisse fertur, *Suidbertus venit in grandem vicum, dictum Brunsvick, ibique convertit multos*: & deinde *Satrapæ in Brunsvick* meminit, At bene post Voburgium animadvertit *Ἰαυμάσιον*. Conringius in dissertatione *de Constitutione Episcoporum Germania*, hæc & similia complura esse a mala manu.

XXXV. An hæc pro Marcellinianis habita legerit Johannes Angelius Werdenhagen, proletariæ doctrinæ scriptor, ambigo. Nam alioquin cum de antiquitate Brunsvvicensi contra Andream Knichenium solidioris eruditionis Jureconsultum disputat parte III. cap. II. *Operis de Rebusp. Hanseaticis*, nequaquam prætermisisset. Knichenio tamen Marcellinus, sed non nisi ex Suffridi Petri, triobolaris, ac pœne dixissem, nauci historiæ Frisicæ conditoris indicinam innotuit. At quam parum ei habuerit fidei, quæ ex *Encyclopediæ cap. I. num. XII.* subjicio, demonstrant

strant verba: *Historiarum scriptores quos pollicetur Suffri-  
 dus, Marcellinus, Lutgerus, Radbodus, Cappidus Stauri-  
 ensis, Occo Scarlensis, item Annales Frisiorum ni divulgantur,  
 ut fidem inde lectoris hauriat persuasoriam periclitantur.* Interim quia de antiquiori Brunone quædam acceperat Knichenius, in conditore Brunsvvici fluctuans, laudato loco scribit: *Vt ut sit, sive Brunopriscus, sive posterior Brunovicum condiderit, aut hic desolatum instauravit, ut conditor non ille qui initio deduxerat: videatur Cornel. Ne-  
 pos in vita Timoleon. utrimque ortus & reparatio jus & imperium in incolas conciliat stabilitque terram tot annorum, seculis occupatam hereditariam.* Confer ejusdem capituli num. CXIII. Quæ ut in Knichenio facile toleres, non item in Werdenhagenio dictatoriam veteris Brunsvvici fabricam. Hic quidem ad Fabricium provocat *Originum Saxonicarum lib. II. ad annum 1000LXXV. scribentem: Saxones Orientales, qui lingua patria Osto - Saxones dicuntur, metu pavidicum duce Hasimaro obviam ei statim procedunt: obsides offerunt: in verba regis jurant. Carolo inde recedenti occidentales quoque Saxones cum duce suo Brunone, de quo nunc sermo est, occurrunt ad villam Wigam, in quo loco Brunsviga postea fertur ædificata. Datis obsidibus & interposito jurando regem quoque ipsi sibi conciliant.* Ex his colligit Werdenhagen, quod existente Wiga, necessum quoque sit castellum tale existisse, apud quod habitata talis transactio, licet nondum plenum nomen Brunsvvigæ fuerit.

XXXVI. At si annales Francicos evolveris, nulla in illis hoc tempore comparet *Wiga*, sed *pagus Bucki*: ac nescio an Fabricius, vel is quem hic secutus, ex *Wisara* fluvio, cujus in Annalibus ibidem fit mentio, *Wigam* villam  
 con-

conflaverit. Rolevinckius quidem *de laudibus Westphaliae lib. II. cap. IV.* nominatim expressit Brunsvvicum: jampridem tamen respondit Sagittarius noster in *Historia Bardewici cap. III. §. XI. per anticipationem ita loqui virum; nam tum temporis nondum conditum fuisse Brunsvvicum.*

XXXVII. Quid si etiam largiremur, *Wigam* existisse; an consequens est statim castellum ibi habuisse? Quasi vero turpe fuerit Carolo homini militari vel in tentorio, vel in tugurio recipere Brunonem cum Saxonum Occidentalium manu. Taceo nec occidentales Saxones ibi habitasse, ubi postea conditum fuit Brunsvvicum.

XXXIIX. Verum altius exsurgit antiquitatis Brunsvvicensis (si superis placet) promus condus Werdenhagenius, origines hujus urbis a secundo saeculo repetens. Etenim *Brunswigia Ptolomaeo, qui sub Antonino pio Imper. circa an Chr. nat. 141. vixit, juxta Francisci Irenici sententiam Tubisurgium, ceu idem Munsterus in Chron. suo probat, vocata est.* Quem Munsteri librum hic intelligat Werdenhagen, dubito. In *Cosmographia* ejus, quae anno *MDLXXXVIII.* locupletior prodiit, de hac re reperio nihil. Non ignoro tamen, quod ad Ptolemaei *Tulisurgium* (non *Tubisurgium*) patriam meam referat cum Irenico Illustris Bilibaldus Pirckheimerus. Probet haec cui volupe: mihi sane nullam veri habere videntur speciem.

XXXIX. Valeat itaque *Tulisurgium*, valeat Brunsvvicensis urbis ante conditam a Brunone Ludolphi filio antiquitas: qua di-plosa redimus in viam, & ad ordinatam patriae historiae seriem.

XL. Ab excessu Brunonis minor fratrum OTTO in Ducatu Saxoniae inclaruit, nec tam *arripuit justum principa-*

*cipatum* (uti loquitur Krantzius) quam a morte fratris prole destituti ad se legitima hæreditate transmissum accepit. Eo ipso hunc Ottonem, *Saxonum potentissimum Ducem, gloriosissimi atque invictissimi Regis Othonis avum* (hoc elogio ipsum maectat Luithprandus Ticinensis *Histor. lib. I. cap. VII.*) novæ urbis Brunsvvici factum esse dominum, vel me tacente quilibet intelligit. Atque hinc est, quod a Suf- frido Presbytero Misnensi & Compilationis Chronologi- cæ anonymo auctore expresse vocetur *Otto de Brunswig*. Ex quo recte colligit Meibomiana de *Ducibus Saxonie De- monstratio*, Principem istum *Brunswigam, quam frater con- siderat, inhabitasse, ibique imperium tenuisse.*

XLI. Quanta hujus Principis fuerit magnitudo, su- pra cognomen *magni*, quod ab aliquibus Scriptoribus ipsi tributum invenimus, ejusdem in Regem Germaniæ ab obi- tu Ludovici Arnulpho Rege nati electio, sed majori animo sponte rejecta, declarat: quod Witichindi, Ditmari, Suffri- di, Gobelini ac Krantzii testimoniis confirmat Cl. Sagitta- rii *Historia Bardewicensis cap. IV. §. XIII.* Nec dissentiunt Ottonis Frisingensis *Chronicon lib. VI. cap. XV.* Engelhusii *Chronica* in Lodewico III. & ibidem versiculi Henrici Ro- slæ ex *Herlingsberga*, sed interpolati, Monachus Nuffien- sis *Chronici Magni Belgici* collector, Auctor *Chronicorum Brunswicensium* Maderianus. Præterea recentes, in qui- bus Fabricius heroicum factum exaggerat in *Originibus Saxonis.*

XLII. Vitam cum morte commutavit Otto anno MCCCCXII. ut habet Appendix Annalium Reginonis Pru- miensis, sive, ut est in Chronico Saxonico veteri, quatuor annis post, in monasterio Gandersheimiano multimodis a se aucto apud Ludolphum patrem sepultus. Diem emor- 912.

tualem II. Kl. Decembris consignavit Ditmarus Praesul  
Mersburgensis.

XLIII. Qui postea, insuper habita Conradi Regis au-  
toritate, in Saxonia libera potestate regnavit HENRICVS,  
Ottonis filius, Brunsvvici fuit dominus: ac ob id Johanni  
Crausio Argentoratensi Canonico in Vitis Impp. ex Brunsv-  
vicensi domo oriundorum, *Henricus de Brunswick* di-  
ctus. In Spangenbergio tamen improbes, quod Henrici  
nostri titulos ex ingenio enarrans, eum quoque *Brunsvvici*  
& *Tankerode dominum* salutet: quasi vel tam ferax titulo-  
rum haec aetas, aut Brunsvvicensis urbis ac burgi dominia  
fuerint distincta. Hic autem quia tot novas urbes condidit,  
alias munimentis cinxit, ut a Conringio ex re & vero *The-*  
*sei Saxoniae* cognomen fuerit commeritus, quis dubitaverit  
tantum Principem in haereditaria urbe & tantum non pri-  
maria sede exornanda gnaviter desudasse? Zeilerus sane  
novam urbi partem, quae exin Niestadium appellata, eun-  
dem adjecisse memorat *Itinerarii Germ. tom. I. cap. V.* Sic  
Dresserus: *Nova urbs Brunsvvige condita est ab Henrico*  
*Aucupe.* Item Chytræus Saxon. lib. XII. *Henricus Auceps*  
*Imp. veteri oppido Novam civitatem addidit.* Et Petrus Ber-  
tius: *Nova urbs Brunsvviga opus est Henrici Aucupis.*

XLIV. Quod Brunsvvicum *sedem Henrici primari-*  
*am* nuncupaverim, nemo mirabitur. Adeo nimirum haec  
invaluit opinio, ut vel nostro aëvo aucupatoria Henrici  
area, sive antiqua illa, sive in ejus memoriam parata, circa  
burgum Brunsvvicense fuerit spectabilis, nomen vero (*der*  
*Sinckenbeerd*) nondum sit extinctum. Quis autem est qui  
esciat, tanto aucupii studio flagrasse Henricum, ut ab eo  
ucupis (*der Sinckler*) nomen attraxerit? quod majori me-  
isset jure, si (quod nonnulli tradiderunt) nuncium de  
ele-

electione sua in Regem Germaniæ in hac ipsa voluptate occupatus acceperit. An autem in hujus studii memoriam cusi sint nummi in Barda minori, pago inter Grimmam & Laufigam sito eruti cum effigie Henrici manu dextra avententis, ceu in *Annalibus urbis Misnae* commemorat Fabricius; tum in proclivi esset judicare, quando spectandorum ejuscemodi nummorum nobis daretur copia.

XLV. Singularia tamen in rebus Brunswicensibus sub hoc Henrico Aucupe isa me expectaverit, qui tot bonorum scriptorum interitum, & reliquorum perpendet silentium. Quin aliqua in tabulariis superent, eo minus dubitaverim, quod ex iis illustria quædam diplomata protulerint Meibomius & Maderus, duumviri de historia Brunswicensi optime meriti. Interea quia Henricus noster ruricolos in urbes coëgit, & ex buringis burgenses (loquor cum illius ævi scriptoribus) fecit, idem Brunswico nostro accidisse, non tantum simile, sed plane vero est consentaneum: ac facile assentior Spangenbergio *Chronici Saxonici cap. CXXI.* affirmanti, familias plures patricias a vicis quibus vale dixerunt, nomen conservasse, quales in patria mea sunt Calmii, Gronhagii, Vasmarii, Vecheldii.

XLVI. Anno MCCCXXXVI. VI. Non. Julii Henricus Auceps Princeps in tantum laudandus, in quantum fa-  
936  
 lus Germaniæ, quæ curæ cordique semper ipsi fuit, intelligi potest, ad cœlestia evocatus Memlebiæ, quod est cœnobium in finibus Thuringiæ & Saxonie ad Vnstrutum, & in Quedlinburgensi monasterio feliciter a se condito sepultus est. Monumentum tanti herois superat quidem; sed ut majori pretio habitum ab interitu vindicetur, serio cum Cl. Præside optamus. De novo Epitaphio non erunt solliciti Quedlinburgenses. Confecit id jampridem Eques Misni-



cus, Henricus a Bunau, quod ex Joh. Cunradi Dieterichi  
*Imperatorum Germanicorum familiae Saxonicae historia Au-*  
*gusta* representabimus.

ACCEDE. VIATOR. ACCEDE. LEGE. VIDE  
 MONUMENTVM. REGIS. MAGNI  
 IMPERATORIS. MAXIMI  
 PATRIS. PATRIAE  
**H E N R I C I . A V C V P I S**  
 AD. PACEM. GERMANIAE. NATI. FACTI  
 SOSPITATORIS. GERMANORVM  
 FVNDA TORIS. EPISCOPATVVM  
 DEBELLATORIS. HVNGARORVM  
 VICTORIS. SCLAVORVM  
 P R I N C I P I S . S A X O N I A E  
 VIRTUTE. OPTIMI  
 FELICITATE. MAXIMI  
 PIETATE. SVMMI  
 CVI. STATORI. GERMANIAE. STATVAM. STATVI  
 AVREAM DECERET.  
 OB. INFATIGABLEM. BENE. DE. REGNO.  
 ET  
 IMPERIO. GERMANICO. MERENDI. LABOREM  
 VIVAT. VIVAT  
 P R I N C E P S . V E R E . M A G N V S  
 PRO. MERITIS. VIRTVTVM. VIVAT  
 PRINCEPS. PRINCIPE. MAIOR  
 HEROS. INTER. HEROES. PERENNIO R  
 IMP. INTER. INLVSTRES. INLVSTRIOR  
 VIVAT  
 CVI. OB. BENEFICIA. AMPLA. ET. AVGVSTA  
 MONUMENTVM. HOC. AERE. PERENNIVS. POSVIT  
 VENERANTI. VOCE. GRATANTI. MENTE  
 GERMANIA. HASSIA. SAXONIA  
 CIVITASQVE. OMNIS  
 DEVOTA. NVMINI. MAIESTATI QVE.  
 XLVII.



XLVII. Henricus, præter Danemarum ex prima uxore genitum, & in rebellione adversus fratrem in templo Eresburgensi cæsum, trigam filiorum reliquit, OTTONEM, HENRICVM, BRVNONEM. Primus sceptrum Germaniæ, cui post conjuncta corona Imperatoria, alter pileum Ducalem Bojoariæ, tertius Archiepiscopale pedum Coloniense, cui insuper novo exemplo additi fasces Ducatus Lotharingici, acceperunt.

XLIIIX. Quod ad hunc Ottonem I. attinet, dubium mihi relinquatur nullum, quin, perinde ac Henricus pater, in burgo Brunswicensi sæpius fuerit commoratus. Et recentiores quidem, Henricus Buntingius in *Chronico Brunswicensi*, & Michael Sachsus in *Cæsareologia* id diserte affirmant: quos in doctissimo opere de *Stapula Magdeburgensi* sequitur Benjamin Leuberus. Interea miror non immerito, quod cum tot jussu & auctoritate hujus Ottonis conscripta supersint privilegia, quorum bonam partem Meibomius & Maderus, ac ipse Leuberus in lucem protraxerunt, ac longe plura in scriniis servat Cl. Sagittarius, nullam Brunswici mentionem faciant: nec etiam ullus Principum Germaniæ conventus ibidem celebratus sit. Vnde forsan quis collegerit, Ottonis I. temporibus incunabulis Brunswici parum splendoris accessisse.

XLIX. Sed quid si aliquis dixerit, nec amplius integrum fuisse Ottoni Brunsvicum exornare, præsertim ex quo Saxoniam ducalem dignitatem ac potentiam a suis in Hermannii Billingi Comitis humeros rejecerit? Nam quod hic Hermannus vicaria primum, mox hæreditaria potestate in Ducatu Saxoniam fuerit auctus, luculenter comprobant Henricus Meibomius in *Billinganis Vindiciis*, Johannes Cuuradus Dieterichius in *Historia Ottonis Magni*,

Petrus Lambecius *lib. I. Rerum Hamburgensium, & Sagittarius noster in Bardewico cap. V. §. III. seqq.*

L. Neque tamen Hermannus totum, prout Otto & majores habuerunt, Saxoniae Ducatum, sed tantum aquilonares ejus partes accepit, Ottone sibi suisque posteris servante terras magis ad orientem & meridiem spectantes. Hoc insinuat Krantzius *Saxonia lib. IV. cap. XXXVI.* verbis sequentibus: *Otbo primus cum constitueret Hermannum Billing Saxoniae Ducem, illique permetteret contermina Albis fluminis, sibi ac posteris servavit Thuringiam, Misniam, & quae vicina sunt Hercinia.* Sed ea jam clarius expresserat *lib. IV. cap. XVI.* Hunc ego novum Ducem (Hermannum) *Saxoniam quoque Transalbianam tenuisse crediderim, quod limitaneus esset ad vicinas Danorum Wandalorumque nationes arcendas ab incursionibus. Terram vero Brunswickensem, quae postea in Ducatum erigitur, & rursus Gotingensem, & quae Transsylvana dicitur, cum terra Wittenbergensi, quae nunc superior dicitur Saxonia, & omnem Misnam Turingiamque tum Saxonici juris pro se ac posteris servavere Imperatores. Alioqui stultum fuerit ditare extraneum, & suos exhaeredes facere.* Ad eundem *lib. III. cap. XI.*

LI. Vides Krantzius nominatim excipere Brunswickensem terram. Nec se res habet aliter. Nam haec ipsa una cum metropoli Henrici Aucipis stirpi mansit; cum contra Luneburgum & Hamburgum ad Billinganam familiam pervenerint. Rectissime igitur Meibomius in *Vindiciis Billinganis* scripsit; *etsi novus iste Saxoniae Ducatus fuerit institutus, eum qui haec tenus fuerat, ex hoc minime desisse.* Vtique non desit, nec integer tamen mansit.

LII. Ceterum ut ad Ottonem I. revertamur, is geminum

num

num cum Patre emortualem locum habuit Mimlebiam,  
ubi Nonis Maji anno MCCCCLXXIII. apoplexia correptus 973  
obiit, ac paulo post in cathedrali templo Magdeburgensi  
magnifice a se constructo sepultus est. Monumento ferunt  
hoc distichon inscriptum.

TRES LVCTVS CAVSÆ SVNT HOC SVB MARMO-  
RE CLAVSÆ (TRIE,

REX, DECVS ECCLESIAE, SVMMVS HONOR PA-  
Frater ejus Henricus Dux Bojariæ jam tum anno hujus sæ-  
culi quinto & quinquagesimo vita excesserat Ratisbonæ,  
ubi in templo S. Mariæ, Ditmaro teste, humatus.

LIII. Et hujus quidem Henrici Ducis facienda erat  
mentio, quod ejus posteris dominium urbis agrique Brun-  
swicensis cesserit. Male recentiores nonnulli Henricum  
hunc *Rixosum* nuncupant: nam hoc cognominis datum fi-  
lio ejus Henrico II. quod patrueli Ottoni II. Cæsari adver-  
faretur. An hic Henricus II. una cum Ducatu Bojariæ  
Brunswicum quoque habuerit in manibus, nondum ausim  
affirmare. Id scio in Saxonia ab avia paterna Mechtilde  
fuisse educatum, post variam fortunam demum in Saxonia  
vitæ finem reperisse. Gerbergam enim sororem Abba-  
tissam Gandersheimensem anno MCCCXCIV. invisens, sub-  
tanea ægritudine oppressus supremum diem obiit, in me-  
dia æde ibidem sepultus: id quod Ditmarus narrat *lib. IV.*  
cui major in eo habenda fides, quam Andreae Presbytero  
Ratisbonensi & Aventino, qui Ratisbonæ tumultum vo-  
lunt: quo de plura nos cum tempore docebit Cl. Præsidis  
jam prope confecta *Ratisbonensis historia.*

LIV. Huic Henrico II. Rixoso Bojariæ Duci frater erat  
BRVNO I. quem ab Aventino vel omissum, vel Ludol-  
phum pro eo substitutum miror. Is ipse Bruno conditor  
est

est novæ Saxonix Marchionum familia: quem titulum for-  
 tassis sumserunt, ut a Ducibus Billinganis distingverentur.  
 Non contemnenda hæc est conjectura Krantzii *lib. IV. Sa-*  
*xonia cap. XXVII.* & *Metropol. lib. IV. c. XIV.* Fabricius *lib.*  
*III. Originum Saxonicarum* tradit, *Melverodam* & *Hoer-*  
*wartam* (Krantzius vocat *Hogeworde*) non procul a *Brunswi-*  
*co* possedisse, & in *Bavaria* ditionem *Duncheslariensem* te-  
 nuisse. Meminit hujus Brunonis Tritthemius in *Chronico*  
*Ducum Bavaria*; sed quam nominat *Lucardem*, Arnoldi  
 Bojariæ Ducis filiam, Brunonis matrem, ea *Juditha* voca-  
 batur. Vxorem Fabricius & Reusnerus Brunoni jungunt  
 Hildeswindam Comitiss Croatiæ filiam, ex qua Ecbertum  
 prima ætate extinctum, & Brunonem II. genuerit. Ad  
 Annales Fabricius provocat Brunswigos; qui cujus sint fi-  
 dei, ignoro. Quod seculi decimi anno octavo & sexagesi-  
 mo ludis equestribus Constantiæ ad locum Podamicum in-  
 terfuerit, narratione nititur Rixneriani *de Trojaminibus*  
 libri, sed oppido fabulosi. An Brunswici possessionem adie-  
 rit, in incerto est, quia de fatali anno ex antiquioribus scri-  
 pturis non constat. Nam quod Reusnerus in *Stemmata*,  
*Witichindeo* annum designat CIOVII. in illo veterum silen-  
 tio mihi est suspectum. Si tamen eo usque vita suppedi-  
 tasset, utique *dynastam* agere potuisset *Brunswicensem*:  
 quod elogium ei tribuunt juniores. Sic enim non modo  
 983 vivendo superasset Ottonem II. qui anno MCCCCLXXXIII.  
 Romæ mortuus & sepultus est; sed etiam Ottonem III. qui  
 1002 anno CIOII. variolis in Italia extinctus est, intestinis Augu-  
 stæ, reliquo corpore Aquisgrani conditis.

LV. Hos Ottones Germaniæ Reges ac Imperatores  
 Romanos præterire nefas duxi, quod plerique, nec injuria,  
 credant, Brunswici fuisse mansisseque dominos. Quod ta-  
 men

men in solo fere alieno gravissimis bellis distenti egerint, dubium non est, quin urbem & finitimos agros clientelæ alicujus Comitis crediderint: in quibus forte Bruno I. locum habuit.

LIV. Ab excessu Ottonis III. BRVNONEM II. terra Brunswicensi auctum existimo. In tantum enim is invaluit, ut non modo Hildesienſi Episcopo Bernwardo fuerit gravis, sed & spem impetrandi sceptrum regale conceperit. De eo nimirum capienda censeo, quæ Tancredus presbyter *in vita Bernwardi* a Christophoro Browero, Jesuita doctissimo ac historiæ Germanicæ scientissimo edita commemorat. *Interea, inquit, vota Principum in diversa rapiuntur, plerisque regni fastigium sine respectu timoris Dei usurpare nitentibus. Unde princeps quidam Bruno nomine sciens venerabilem Bernwardum Episcopum Domino Henrico Duci (is erat Henrici Rixosi filius, Ottonis III. successor) reverentissimo esse fidissimum, timens, ne cœptis ejus adversaretur, si quid inciperet, quoscunque in exitium illius vel in damnum Hildesemensis Ecclesiæ armare poterat, pro viribus institit: hinc prædiis & rapinis bacchatus in loca & homines Episcopi.* Consentientem habemus diligentissimum Auctorem *vitæ Meinwerci Paderbornensis Episcopi* ab eodem Browero editum, cap. XI. *Quidam etiam Princeps Bruno nomine regni fastigium obtinere voluit, sed effectu carens, multis votis ejus non faventibus, & præcipue beatæ memoriæ Berenwardo Hildinesheimensis Ecclesiæ Episcopo in hominibus & bonis ejus multa mala intulit.* Browero tamen incognitum fuisse Brunonem, margini adscripta conjectura indicat: *Fortè Benno Saxonie Dux.* Quasi vero illa displiceret, additur: *De quo tamen id negat Adelboldus.* Sed si id negat vitæ Henrici II. scriptor, quid erat cur pro Brunone

D

Ben-

Bennonem vellet sufficere? Neque mirum videatur Brunoni cristas erexisse tam opimam hæreditatem, & prærogativam regni per tot exempla jam Saxonie firmatam.

LV. Brunswicum itaque Brunoni II. paruisse extra controversiam pono. Quo referas ista Chronici Ducum Brunswicensium: *His temporibus in Brunswick princeps fuit Bruno. Quæ sequuntur, corrigenda sunt ex iis, quæ in Ottone II. diximus. Qui comes dictus est: quod esse potuit, quia Ducatus, quem prædecessores sui tenuerant, maritis deficientibus ab Ottone Hermanno I. Billingi filio est donatus.* Neque enim Otto non nisi parte Ducatus se exiit.

LVI. Ex sententia Fabricii ætate florente vitam cum morte commutavit Bruno. Annum addit Reusnerus CIOXIV. Sed si illa epocha non firmiori nititur tibicine, quam narratio de Ecberti Marchionis cæde, & hinc impetrata per Henrici II. indulgentiam istius provincia, non est cur ei assentiamur. Nullus fane tum temporis cæsus est Ecbertus Marchio, sed Eccardus I. Misnie Marchio ac Dux Thuringiæ: qui tamen reliquit filios Hermannum & Eccardum, paternarum opum & dignitatis in marchia hæredes: quorum historia multum debet Cl. nostro Sagittario binis ab eodem dissertationibus illustrata.

LVII. Conjux Brunoni erat Gisela, nescio cujus Werlani principis filia, Lupoldi Sveviæ Ducis (alii Ernestum vocant) cui Hermannum pepererat, vidua, quæ post excessum Brunonis nostri, quem Ludolpho gnato auxit, in totum concessit Germaniæ Regis Conradi II. Salici, mater facta Henrici III. avia Henrici IV. Hæc dicta firmabimus quibusdam testimoniis. Sic autem Chronica Ducum Brunswicensium: *Brunonis uxor fuit Gbislade Werle, quæ eidem genuit Ludolfum. Gbislade autem prius habens Lippoldum.*  
Erne-

*Ernesti Ducis filium, genuit Hermannum Ducem Svevia. Post Brunonem autem nupsit Conrado II. Regi, qui Hinrico de Bavenberch successit in regno, cui genuit Hinricum III. regem, qui mansvete regnavit. Excerpta Chronologica, ex vetustis Ecclesiæ S. Blasii membranis: Domina Gisla de Werle tres viros habuit. Primus fuit Dux Svevia, cui genuit Hermannum Ducem Svevia. Secundus fuit Comes Bruno in Brunsvik, cui genuit Ludolfum in Brunsvik. --- Item Domine Gisla fuit tertius maritus Conradus Rex, cui genuit Hinricum hujus nominis tertium Regem. Tritthemii Chronicon Hirsaugiense ad ann. CIOXXIV. Conradus II. uxorem duxerat Gisela, relictam Brunonis Saxonum Ducis, ex qua generat Henricum filium. Krantzius Saxon. lib. IV. cap. XXVII. Hic Bruno genuit filium Brunonem; qui ex relictâ Lupoldi Ducis Svevia, quæ erat filia principis de Werle, & pervenit postea ad nuptias Conradi Imperatoris. Bruno inquam secundus ex hac conjugè genuit Ludolphum Marchionem Saxonie. Idem lib. V. cap. XIII. Henrici hujus pater Henricus III. & Ludolphus Mathilda avus uterini erant fratres ex Gisla Conradi Imp. conjugè, quæ pridem ex Brunone habuit filium Ludolphum Saxonie Marchionem. Fabricius Originum Saxon. lib. III. Vxor ejus Gisela, filia (ut Crancius) Principis Werlaensis: ut alii Lotharii Regis Franciæ: vidua Ernesti Senioris Ducis Svedorum: qui frater Alberti fuit tertii Marchionis Austriæ: Ernesto gemellos peperit Ernestum II. & Hermannum. Brunoni marito secundo filium unicum Ludolphum. --- Post obitum Brunonis Gisela mulier de Caroli Magni stirpe nobilis & fortunata Conrado II. Imp. nubuit, cui peperit Henricum II. Imp.*

*LVIII. Vides hic fluctuare Krantzius, qui Gisela a quibusdam pro Lotharii Regis filia, atque adeo ex Caroli*

M. stirpe haberi asserit. Sed quid facies de Wippone presbytero, qui patrem Giselaë Hermannum Alemanniaë Ducem, matrem Kerbirgam filiam Conradi Regis Burgundiaë tradidit? Dignus est qui integer adscribatur locus ex vita Conradi Salici: *Super hos omnes dilecta Regis conjunx Gisela prudentia & consilio viguit, cui pater erat Herimannus Dux Alemannia. Mater ejus Kerbirga, filia Conradi Regis de Burgundia fuit, cujus parentes de Caroli Magni stirpe processerant: unde quidam de nostris in libello, quem tetralogum nominavit, & postea regi Henrico, cum natalem Domini in Argentina civitate celebraret, presentavit, inter alios duos versus edidit hoc modo:*

*Quando post decimam numeratur linea quarta  
De Carolo Magno procedit Gisela prudens.*

Adhuc aliter Suffridus Presbyter Misnensis in Chronico: *Conradus duxit Giselam de Webinlingen, neptem sancti Henrici Imp. uxorem Arnolphi Ducis Suevoorum, quae peperit Ernestum & Hermannum, & hinc peperit Henricum, qui Aquisgrani unctus est in Regem.*

LIX. Etsi vero non est nostrum tantas componere lites, forte tamen nostrates Giselam Brunonis cum Conradi Imp. Gisela commiscuere: quod facile licuit in illa nominum communione. At Meibomio mens est alia, in cuius Notis ad Roswithaë monialis Gandersheimensis Panegyricum hæc reperias: *Gisela Conradi Salici uxor ante hoc postremum matrimonium corrupta fuit cum Brunone ejus nominis secundo Marchione filio Ludolfi Marchionis urbis Brunswigæ amplificatoris. Pro filio rescribe matre. Neque enim Ludolphus Brunonis II. pater fuit, sed filius.*

LX. Recte autem **LUDOLPHVS** Marchio urbis Brunswicensis amplificator audit. Nam sub hoc Marchione  
(utor



(utor verbis Krantzii ex *Saxonia lib. IV. cap. XXXVI.*) cre-  
 vit oppidum Brunswicum. Ibi tum ecclesia S. Magni exedi-  
 ficata & divi Vdalrici. Item Ludolphus primus fundavit  
 ecclesiam in Danquerode juxta Brunswicum, quæ nunc est  
 inclusa mœnibus: instituit Canonicos, ditavit prædiis, &  
 sanctis Apostolis Petro & Paulo fecit consecrari: quæ nunc  
 S. Blasii præfert patrocinium, intra urbis mœnia, & hodie  
 vocant Ecclesiam in burgo. Confer Fabricium Originum  
 lib. II. Reusnerum in *Stemmate Witichindeo*, & Spangen-  
 bergii *Chron. Saxonicum cap. CLXVIII.*

LXI. Quod de Gotbarði a de a Ludolpho constructa  
 affert Reusnerus, dubio non caret. Ac nescio an decepe-  
 rit eum memoria hujus ævi Gothardina. Hic enim præ-  
 sul Hildesensis templum novum in burgo conditum ho-  
 nori sanctorum Apostolorum Petri & Pauli dedicavit. Nam  
 sic habetur in tabula Blasiana: Anno 1030. *Jr de Kerke 1030*  
 Danckwarderode in de Ehre der hilligen Apostel Petri unde  
 Pauli gewihet worden von Gadehardo dem veyrtehenden Bi-  
 schoffe tho Hildesheim.

LXII. Vxorem Ludolpho Fabricius, Spangenber-  
 gius, Reusnerus assignant Hildam Flandricam, Balduini II.  
 filiam, ex qua Brunonem III, Hermannum, Ecbertum ac  
 Ottonem genuerit. Quis horum a morte patris, quam  
 Reusnerus perperam in annum c10LXXIV. refert, acceperit  
 Brunswicum, nondum satis compertum puto. Pro Bru-  
 none tamen stetero, si is fuerit major natu.

LXIII. Atque hic est BRVNO III. qui una cum  
 ECBERTO fratre ad Merseburgensia Henrici IV. comitia  
 iturus anno c10LVII. ab Ottone Wilhelmi Marchionis fra- 1057  
 tre occisus est, & ipso tamen Ottone sublato. Historiam  
 narrat Lambertus Schafnaburgensis, dignam, quæ ipsis fi-  
 delis-

delissimi scriptoris verbis repetatur. *Henricus Natalem  
sanctorum Apostolorum Petri & Pauli in Erfenburg celebra-  
turus erat, eo quicquid Principum erat in Saxonia, ad collo-  
quium evocari iussit. Quo dum pergerent pro sua singuli  
copia, magna militum manu stipati, contigit, ut Brun & Ec-  
bertus patruels regis casu inciderent in multitudinem præ-  
dicti Ottonis, conglobato agmine ad curtem regiam profici-  
scentis. Hi præter causam publicam, privatis quoque ini-  
micitiis infestissimi illi erant. Nec mora, dato militibus si-  
gno ad pugnam, equis subdunt calcaria, & pari utraque pars  
audacia, paribus odiis in mutua vulnera ruunt. Ibi in pri-  
ma fronte Brun & Otto, ambo pleni irarum, ambo sui tege-  
di immemores, dum hostem ferirent, tam concitados in sese  
vicissim impetus dederunt, ut uterque alterum primo incur-  
su equo excussum letali vulnere transfoderet. Amissis du-  
cibus aliquandiu utramque aciem anceps pugna tenuit. Sed  
Ecbertus quanquam graviter saucius, dolore tamen interem-  
pti fratris efferatus, rapido cursu in confertissimos hostes præ-  
cipitem se mittit. Bernardi Comitis filium egregium ado-  
lescentem, sed vix dum militiæ maturum, interficit; ceteros  
langvidius, quoniam ducem perdidissent, pugnantes in fu-  
gam convertit.*

LXIV. Vides hic solum nominari Ottonem Bruno-  
nis percussorem. Sed recentiores & ipsum fratrem Wil-  
helmum memorant. Ita namque Chronica Brunswicen-  
sia: *Ludolfus genuit Ecbertum & Brunonem. Hi in Mers-  
borch in Principibus ab Imperatore vocatis venerunt prope  
Nendorp ad flumen quod Salica dicitur. Vbi ipsis Otto &  
Wilhelmus fratres Principes Thuringiæ hostes eorum occur-  
rerunt, & bello commisso Brunonem occiderunt. Concinit  
Krantzius Saxonix lib. IV. cap. XLIV. Per quæ tempora Bru-  
no &*

no & Egbertus Marchiones Saxonia Ludolphi filii a patre suo Henrico Imp. III. (erat enim Ludolphus eorum pater & iste Henricus fratres uterini) ibant in orientalem Franciam invitati: obvii fuere illis eorum hostes Landgravii Turingia Wilhelmus & Otto. Commisso praelio cadit Bruno. Nota hic primo errorem Krantzii ad Henricum III. referentis, quæ ad Henricum IV. admodum tamen juvenem pertinent. Deinde Wilhelmus Marchio Brunonem & Ebertum fratres infestare non potuit, qui jam tum excefferat vivis, a Luiticiis Slavis cum infinita multitudine Saxonici exercitus occisus: uti ad annum cicolvi. loquitur Lambertus. Tum vero frater Wilhelmi Otto ex impari quantumvis matrimonio natus cum hæreditate fraterna ipsum etiam Germaniæ regnum affectabat. Ecce Lamberti hac de re verba. *Accessit ex insperato magnum turbandis rebus adjumentum, Otto frater Guillelmi Marchionis, sed matrimonio impari, matre scilicet Sclavica natus, vir acer ingenio, & manu impiger. Is apud gentem Boemorum jam a puero exulaverat, sed comperta morte fratris, magna spe obtinendæ hæreditatis regressus in Saxoniam, a cunctis illic principibus benigne accipitur, magnisque omnium adhortationibus instigatur, non modo marchiam (quæ sibi jure hereditario competeret) sed ipsum quoque regnum affectare. Vbi alacrem, paratumque negotio advertunt, fidem illi omnes dicunt; suas quisque manus, suam operam pollicentur; regemque ubicunque fortuna opportunum fecisset, interficere constituit. Sublato hoc Ottone & rex & regnum magno periculo liberati sunt. Lambertus iterum: Sic respublica, maximo metu liberata est, & Saxones adempto rebellionis signifero, nihil ulterius, quod secus esset, contra regem moliti sunt. Non igitur in ea pugna occumbere potuit Wilhelmus, qui pridem occubue-*

cubuerat. Et hoc tamen inculcat toties laudatum Brunsvicense Chronicon. *Ecbertum graviter vulnerantes, e contra altero duorum fratrum principum Thuringia intercepto, scilicet Wilhelmo.* Nec id tantum, sed Ottonem, quem Lambertus tamen non minus ac Brunonem letali vulnere transfossam memorat, superstitem nobis sistit. *Nam Otto superstes, inquit, Adelbeydem Alberti de Ballenstede generavit.* At decepit hominem, quod hoc ipso ævo alius superaverit Wilhelmus Thuringorum marchio, qui sponsam Vngaricam petiturus in ipso itinere obiit, relicto Ottone in marchia successore: quo de legas Lambertum ad annum *ciclxii.* Et certum est hos Ottones miscuisse auctorem, dum quod Lambertus Ottoni posteriori tribuit, de decimis Moguntino per Thuringiam permissis, is priori adscribit: quo de procul dubio in *Historia*, quam sub manibus habet, *Thuringica*, Cl. Præses sollicitius dispiciet. Nos vel propter Brunsvicum nostrum hos errores necessum habuimus dispungere. Quis enim nunc amplius credat Kranztio laudato loco scribenti: *Egbertus hostium victor ambos capit, reducitque in Brunsvicum in arcem Danquerderode, & insigni pecunia emunctos, quum jurassent, Imperatori dimisit?* Fac nimirum captivos quosdam in arcem Brunsvicensem deductos: Wilhelmus id esse non potuit, qui jam pridem obierat: nec Otto, qui hoc tumultuario prælio rebellem profudit spiritum.

LXV. Sed novus hic detegendus est Fabricii error. Is Ecbertum nostrum *ætate adhuc florente anno supra millesimum sexto & quadragesimo catarrho suffocatum scribit.* Verum hic nequaquam Ecbertus, sed Eccardus II. primi filius, Misniæ Marchio fuit: de quo Lambertus ad hunc annum: *Eggihardus Marchio subitanea morte præfocatus interiit.*

*terit. Sed ut aliud ex alio malum, ita error errorem trahit. Nam pergit Fabricius: Hæredem scripsit Henric. III. Imp. suum patrum, ut Hermannus Contractus testatur: sed ut ego arbitror, tutorem illum constituit uxoris gravide, quæ post mariti obitum filium posthumum peperit. Jam Contractus nullum nobis Ecbertum, sed Eccardum affert: de quo plura dicerem, nisi omnia occupasset Cl. Sagittarii Historia Eccardina.*

LXVI. Vixit autem ac floruit Ecbertus I. adhuc anno CIO LXVII. quo marchiam Ottonis Thuringicam ab Henri-<sup>1067</sup>co IV. accepit, clarissime id affirmante Lamberto: & anno insequente de vita decessit, dum de uxore repudianda co-<sup>1068</sup>gitat, quæ non posthumum, sed patre vivo ECBERTVM II. peperit. Potior sane in his nobis est præ Fabricio Lamberti auctoritas, cujus sermo de extremis Ecberti I. ejusque hærede filiolo ita habet. *Rex Natalem Domini Goslaria, nec dum sospitate ad plenum recuperata, celebravit, a quo Egbertus Marchio exactis diebus festis digressus, dum se in sua (Brunswicum credo) recepisset, modica febris pulsatus terminum vitæ accepit. Sed marchiam adhuc vivens acquisierat filio suo tenerrimæ ætatis infantulo, quem ei vidua Ducis Ottonis de Swinensfurt pepererat, cui tamen ipse paucis diebus antequam vitæ excederet, repudium scribere cogitaverat, & contra leges ac statuta canonum viduam Ottonis Marchionis (Thuringiæ) sibi jungere, quod hæc forma elegantior, & effertis moribus suis opportunior videretur: sed mors opportune interveniens, nefarios conatus ejus interceptit.*

LXVII. Qui Patri in marchia Saxonica æque ac Thuringica successit ECBERTVS II. Brunswici nostri itidem fuit Dominus, ac ibidem templum S. Cyriaco sacrum fundavit: teste membrana Ecclesiæ S. Blasii: quamquam Kran-

E

tzius

tzius eū ecclesiam jam a patre inchoatam perfecisse scribit. Non infimus hic Ecbertus fuit hostium Henrici IV. quem 1089 anno CIO LXXXIX. ab obsidione Glichenfis castri insigni clade affectum repulit: uti Dodechinus, Lamberti continuator, Albertus Stadenfis, Auctor Chronici Stederburgensis, Scriptor de Landgraviis Thuringiæ, Paulus Langius, Albertus Krantzius, ac Aventinus, omnes & singuli a Cl. Præside in *Historia Comitum Glichenfis MS. lib. I. cap. III.* laudati, pars strictim, pars fusius recensent. Anno tamen proximo 1090 ab Henrici IV. militibus in molendino Eisenbüttel, haut procul Brunswico (perperam hic nonnulli Eisenbergam duobus a Jena miliaribus distitam substituunt) occisus est: quam in rem copiosam testium manum attulit Cl. Præsides noster in *Historia Eccardi I. sect. II. §. IV.* Reufnerus eum Brunswigæ ad S. Cyriacum sepultum scribit. Quod facile crediderim: licet membrana S. Blasii tantum mortis, non item sepulcri memoriam servaverit, his verbis: *A. D. 1090. Obiit Ecbertus Marchio, fundator Cyriaci Martyris.*

LXVIII. Quod Ecberto II. nulli essent liberi, lautum ejusdem patrimonium sibi vindicabat GERTRVDIS soror. Chronicon Ducum Brunswicensium: *Ecbertus Brunonis defuncti frater, qui Marchio dicebatur, genuit Ecbertum & Gertrudim: Quæ defuncto patre & fratre a fautoribus imperii interfecto, hereditatem in Brunswik obtinuit.* Sed Henricus IV. occupata Brunswico pellit virginem, burgo Bojariis suis commisso. Sed cum præfidiarii civibus suis exosi negligentius agerent, ope balneatoris in proximo habitantis, qui noctu ignem in arcem conjecerat, eadem expugnata Gertrudi restituitur. Krantzius Saxonæ lib. V. cap. XLIV. *Henricus Imperator ejus (Ecberti II.) occupavit ditio- nem, tanquam & ipse ex sanguine Saxonum juste hereditaret,*

ret, quæ novissimi essent principis: accedente feudi, ut præ-  
tenderat, reditu ad imperium. Arcem præcipue, quæ juxta  
Brunswicam oppidum esset, Dancquerode in suam accepit  
potestatem, propulsa sorore Gertrude virgine, tradiditque  
custodiendam Bavaris. Sed illi dum abutuntur incives per-  
missa potestate, odiosi fiunt. Erat qui balnea in vico publico  
institueret, homo injuriæ impatiens: qui ab illis provocatus,  
noctu ignem injecit arci, quo perierunt custodes. Cives ac-  
currerant, restincto, ut poterant, incendio, arcem suæ fece-  
runt potestatis, & revocata Gertrudi restituerunt. Junge  
his Matthæum Dresserum de Urbibus Germania & Petrum  
Bertium Commentar. Rerum Germanicarum in descriptio-  
ne Brunswici.

LXIX. Hæc Gertrudis postea nupsit HENRICO Pin-  
gvi sive Crasso, Comiti Northeimensi, Ottonis Exducis Bo-  
jarii, ex Ducibus Saxonis oriundi (Engelhusius *Ducem  
Saxonia sive de Brunswick* vocat) filio, cui opimam illam  
hæreditatem attulit. Chronicon Ducum Brunswicensium:  
*Gertrudis nupsit Comiti Hinrico, qui Pingvis dicebatur, qui  
fuit filius Ottonis de Northeym, Ducis quondam Saxonia.*  
Krantzius d. l. *Illam tam insigni dote promeruit virum Henri-  
cum Comitem de Northem.*

LXX. Henricus ille Gertrudis maritus, Brunswici  
Dominus, dum Frisica soceri ab Henrico IV. Conrado E-  
piscopo Ultrajectino, tabulis Ratisbonæ anno CIOLXXXIX.  
signatis attributa recuperare nititur, ad Nordam Frisiæ op-  
pidum cum magna exercitus parte cæsus est anno CIOCVI. II06  
Breviter Albertus Stadenis: *Otto sepultus est Northem,  
& habuit tres filios, Henricum Crassum, qui fuit Landgrafus  
-- qui occisus est Norden in Fresia.* Ac iterum: *Heinri-  
cus Crassus filius Ottonis Ducis occiditur in Fresia cum aliis*

*multis.* Confer Krantzius *Saxon. lib. V. c. XV. & Metropol. lib. V. c. XXII. & XXX.* Historiam accurate enarrat Vbbo Emmius *Historia rerum Frisicarum lib. VI.* Sepultus est in monasterio, quod condidit, Bursfeldensi, ac lapidi sepulcrali inscriptum fuit: ANNO MCVI. IDVS APRI-  
LIS SEPVLTVS HIC GENEROSVS COMES FILIVS  
OTTONIS DVCIS FVNDATOR HVJVS COENOBII.

LXXI. Vidua Henrici Northemii Gertrudis postea nupfisse fertur Henrico (alii Ditericum vocant) Comiti de Catelenborg, quem mira μεταμορφωσις in *Cattimelibocensem* transformat Reusnerus in *Stemmata Witichindeo*. Hunc in castris ad Coloniam peste extinctum tradit Spangenbergius *lib. II. Chronici Querfurtensis cap. XXIV.* Non igitur vidua mansisset Gertrudis: quæ tamen est sententia Krantzii *Saxon. lib. V. cap. XXV. Caso Henrico Comite in Norden Phrisiæ Gertrudis vidua manens, rediit in Brunswicum, & propinquam arcem Danquerode, quæ tum sita erat ad mœnia, nunc est inclusa urbi.*

LXXII. Interea Henricus V. Saxonix Principibus, exemplo patris infensus Brunswicum occupat: quod tribus verbis in *Cosmodromio ætate VI. cap. LVIII.* tangunt Gobelinus, & in *Chronico Hirsaugiensi* Tritthemius. Engelhus tantum obsidionis Brunswicensis meminit.

LXXIII. Neque tamen diu servasse urbem, indicio est, quod Gertrudis corpus S. Auctoris confessoris Archiepiscopi Trevirensis, eo detulerit. Tabula S. Blasii: *De (Gertrudis) hefft S. Auctoris Lichnam van Trive tho Bronswick bracht.* Krantzius *Saxon. lib. V. cap. XXXV. Quo tempore Gertrudis nobilis fœmina, filia & soror duorum Egbertorum Saxonix Marchionum patris ac filii, relicta Henrici Crassii Comitis de Northem, socrus Luderi Ducis (nam ma-  
ter*



ter erat Rixa conjugis ejus) de Treviri rediens, corpus sancti  
 Auctoris confessoris Treverensis quondam Archiepiscopi, Brun-  
 swicum advehit. v. Arnold. l. V. c. IV. Et hujus quidem Auctoris  
 memoria temporibus Pontificiis sacrosancta fuit Brunswici:  
 atque inde etiam a pluribus retro saeculis multi ex primariis  
 civibus Auctoris praenomen acceperunt. Curia Auctoris  
 (Der Auctors Hoff) in alios usus pridem conversa, ante pau-  
 cos annos jussu Serenissimi Patris Patriae commodis merca-  
 torum ad nundinas nostrates convolantium summo cum  
 publicae rei fructu fuit dedicata. Quod quidem institutum  
 cum insignite promoverit Magnificus Cancellarius, Domi-  
 nus PHILIPPVS LVDOVICVS PROBSTIVS, æquum  
 est, ut ejus memoria apud Brunswicenses plus quam S. ali-  
 cujus Auctoris annet ac perennet.

LXXIV. At corpus Auctoris ipsi urbi a Gertrude  
 non illatum, sed in monasterio S. Ægidii, Benedictini or-  
 dinis, quod pro illius ævi statu extra mœnia ab eadem con-  
 structum, fuit depositum. Tritthemii Chronicon Hirsau-  
 giense id miraculo tribuit. *Anno, inquit, dominicae nativi-  
 tatis 1113. Gertrudis marchionissa relicta Henrici Comitis de  
 Northeim, cognomento Crassi, corporis S. Auctoris ab Archi-  
 Episcopo Trevirorum Brunone sacras impetravit reliquias,  
 & cum magno honore in Saxoniam illas transferens, extra  
 muros Brunswicenses in eo loco reposuit, in quo bodie mona-  
 sterium S. Ægidii confessoris intra muros urbis situm est.  
 Nam quum praefata Marchionissa corpus S. Auctoris in eum  
 locum ferendo portasset, repente stetit immobiliter. Vnde  
 consilio prudentium virorum accepto nostri ordinis, in eodem  
 loco magnificum (monasterium) construxit, in quo corpus ejus-  
 dem sancti reposuit.*

LXXV. Dedicatio hujus monasterii peracta est anno 1115



CIX CXV. a Reinhardo Halberstadensi Episcopo. Huc spectant sequentia membranæ Blasianæ: A. D. 1115. completum est & dedicatum monasterium S. Egidii, S. Johannis Evangelistæ & S. Autoris Episcopi a venerabili Episcopo Reginbardo, petente Gertrude Comitissa & Domino Henrico Abbate. Henricus ille Abbas Bursfeldensis est, quippe cujus inspectioni novum collegium demandabatur. Huic inaugurationi præter Theodoricum Pontificis Romani in Germaniam legatum, & Hugonem Abbatem Bergensem prope Magdeburgum, interfuit Luderus, Gertrudis gener, paulo post prælium ad sylvam Welphonis (Welfesholtz) commissum. Tritthemius in Chron. Hirsaugiensi: Hoc monasterium ad instantiam Lotharii Ducis Saxonie postea Imperatoris, qui filiam præfatæ Marchionissæ habuit uxorem, anno Domini 1115. post gloriosam contra Imperatorem habitam victoriam, per Theodoricum sedis Apostolicæ legatum, & Reinbardum Episcopum Halberstadensem in honorem S. Egidii consecratum est, & ab eo magnifice dotatum. Vide & H. Meibomii Chronicon Bergense & Cl. Sagittarii Historiam Halberstadensem.

LXXVI. Atque hic est LUDERVS ille, Gebhardi filius, ex Comite Supplinburgensi & Dynasta Querfurtensi post obitum Magni Billinganae familiae Ducis ultimi, Saxonie Ducatu, ac demum purpura Germanorum regali & Romanorum Imperatoria auctus: cui ad majora nitenti matrimonium illud cum Rikenza (ab aliis Richenza, Richinza, ut & Rixa appellatur) Henrici Northemii & Gertrudis filia, Ecberti I. nepte, decus ac robur fuit singulare. Enimvero, sicuti quondam mater Gertrudis Henrico, ita nunc filia Rikenza Ludero insignem dotem attulit Brunswicum cum ei adhærente per amplo districtu, ut & quæ a patre

patre & avo ad ipsam devoluta. Quo spectant verba quæ sequuntur ex Chronico Ducum Brunswicensium: *Cessit eidem Ludero ex uxore sua Rikiza Brunswigk hereditas dignitatis, qui etiam Duce Saxonie Magno mortuo a Rege Henrico Ducatum Saxonie pro sua industria est adeptus. Henrico verò Imperatore defuncto de Principum assensu in imperium est assumtus. Ut & ista Kranzii Saxon. lib. V. cap. XXV. Luderus conjugem promeruit Rixam, filiam Henrici Comitis de Northem & Gertrudis matris, quæ fuit soror Egberti novissimi marchionis de Saxonie. Rixa ejus filia ad maritum attulit dotem Brunswicum oppidum cum attinentiis ex materno sanguine. Sed & paterno genere non fuit Saxonie aliena, quod avus ejus paternus Otto fugatus ab Henrico Imperatore IV. Bavaria, ad Visurgum sedit, & ibi usque ad Northem & contermina omnem gubernabat ditionem, princeps Saxonici generis. Quam omnem ditionem quum hereditariam Rixa accepisset, marito Ludero in dotem afferebat.*

LXXVII. Socrus autem Luderi Gertrudis supremum diem obiit anno *CIO CXVII.* & in novo suo monasterio Brunswici sepulta est. Tabula Blasiana: Anno *1117.* *Is gestorven Gertrudis Marchgraven Eggebrechts Dochter / tho Bronswick in de Kerke begraven worden.* Laudata aliquoties membrana: *A. D. 1117. obiit Gertrudis Marchionissa, filia Ecberti & fundatrix S. Aegidii in Brunswick.* 1117

LXXVIII. Auctus jam erat Luderus, sive, ut tunc fere audiebat, Lotharius Cæsar filia, quæ in memoriam aviæ, Gertrudis nomen acceperat. Hanc ambiebat Princeps florentissimus Henricus, Dux Bojariæ, quam & pater felicibus auspiciis ei despondet anno *CIO XXVII.* nisi nos fallit Alberti Stadenensis computus, in quo hic scriptor non raro est negligentior.

LXXIX.

LXXIX. Anno CIƆCXXX LOTHARIUS Cæsar comitia celebravit Brunswici, quæ sua præsentia multi principes virique nobiles condecorarunt. Horum nomina ex antiquis scedis eruta repræsentat Spangenbergius in *Chronico Saxonico cap. CCXVII.* Atque idem scriptor omnem Lotharii historiam diligenter illustravit in *Chronico Quersfurtensi.*

1136 LXXX. De genero Lotharii Henrico Bojariæ Duce paulo ante diximus. Illum vero focer anno CIƆCXXXVI. etiam Saxoniam Ducatu auget: ceu pluribus in *Bardewico cap. VI. §. V.* exposuit Cl. Sagittarius. An autem cum ipso Ducatu Brunswicensem urbem agrumque statim acceperit, non immerito dubitaverim: quod forte reginæ dotalitio eadem seposuerit maritus.

1137 LXXXI. Eodem anno gener focerum cum selecta militum manu comitatur in Italiam a Rogerio Siculo turbatam: sed sequente anno exeunte Lotharius in Germaniam reversurus in Tridentinæ vallis vili casa spiritum, quem itidem in exili tugurio Luneburgensis agri (zu Lutterloh) hauserat, Deo creatori reddidit. Corpus examine ab Henrico focero in Saxoniam relatum in æde Regio-Lutherana (zu Königs-Lutter) magnifice a se exstructa honorifice sepelitur. Errat igitur Auctor Chronici Laurishamensis, quando Lotharium Brunswici tumulatum scribit. Mausoleum cum anno præsentis sæculi octavodecimo aperiretur, reperta fuit plumbea lamina, quam jussu Henrici parentis Johannes Henricus Meibomius descripsit, ac postea lectissimis in Henrici Roslæ Herlingsbergam Notis inseruit. Ea ita habet.

LOTHARIUS O DI O GRĀ O  
ROMANORVM O IMPERA  
TOR O AVGVSTVS O

REGNA

✠ (41) ✠

REGNAVIT ○ ANNOS ○  
XII ○ MENSES III ○ DI  
ES ○ XII ○ OBIIT ○ AVTEM ○  
II ○ NONAS ○ DECEM  
BRIS ○ VIR ○ IN ○ XPO ○ FIDELIS  
SIMVS ○ VERAX ○ CONSTANS ○ PA  
CIFICVS ○ MILES ○ IMPERTERRITVS  
REDIENS ○ AB ○ APVLIA ○ SAR  
RACENIS ○ OCCISIS ○ ET ○ E  
IECTIS ○

Ipsa autem lamina in gazophylacio Serenissimi Domini  
ANTONII VLRICI Ducis Brunswico-Luneburgen-  
sis Wolferbytano religiose adservatur.

LXXXII. Ceterum licet HENRICVS Dux Saxoniae  
ac Bojariae affectaret successionem soceri, non minus ta-  
men ea, quam Ducatu Saxoniae excidit. Et hic quidem,  
Ottone Frisingensi teste, in palatio Goslariensi eidem abju-  
dicatus, Alberto Vrfo attributus est; qui Henrico nostro  
Luneburgum, Bardewicum & Bremam ademit. Neque  
tamen Alberto diuturna fuit occupatarum possessio: siqui-  
dem Henricus a socru vidua adjutus æmulum tota iterum  
ditione exiit.

LXXXIII. At enim ut nihil est in humanis stabile ac  
diuturnum, ita Henricus Dux brevi post, anno nimirum  
CIOCXXXIX. in Bojariam iter parans, non sine veneni suspi- 1139  
cione de vita decedit, in templo Lutterano ad latus soceri  
sepulcrum nactus. Quæ hic breviter perstringimus, in  
*Bardewicensi* D. Sagittarii historia prolixè exposita bene-  
volus lector deprehendet.

LXXXIV. Post mortem Henrici Superbi Ducatum  
Saxoniae, & in ea Brunswicum, filiolo ejus unico HENRICO,

F

cui

1141 cui adulto ob animi rerumque gestarum magnitudinem, LEONIS nomen attributum, servarunt Proceres Saxoniae. Ejus mater Gertrudis vidua Henrico novo Bojariae Duci, Conradi Regis fratri uterino nubit. Avia Rikenza anno CIOCXLI. naturae debitum persolvit: ut est in Chronicis Abbatibus Stadenfis & Montis Sereni. III. Kl. Novembris emortualem diem facit Chronicon Ducum Brunswicensium: cui tamen in anno MCXXXIX. non assentior. Sed eidem in loco sepulchrali, Lutterana aede, non repugnaverim.

LXXXV. Jamque adoleverat Henricus, ut etiam ad ducendam uxorem animum appelleret, quam accepit Clementiam Conradi Duci Zeringensis (non *Thuringi*: ut habet Anonymus *de Ducibus Brunswici*) filiam: teste Helmolde in *Chronico Slavorum lib. I. cap. LXVIII.* Primas has Leonis nuptias MS. Chronicon Lubecense Johannis Ruffi refert ad annum CIOCXLVII. his verbis: *In der Zyt nam Hertoge Hinrik de junge Lowe sin erste Wyff.*

1147 LXXXVI. Henrico in cunis adhuc vagienti Bojariae Ducatus erat ademptus, & Henrico fratri a Conrado Rege datus. Hic etsi matrem duxerat Henrici Leonis, non id propter tamen Ducatum illum, per injuriam, ut putabat, sibi ademptum, vitrico, praesertim post excessum matris (obiit illa an. CIOCXLI. uti habent Alberti Stadenf. & Montis Sereni Chronica) volebat relinquere: cumque querelis apud Regem nihil proficeret, ad arma conclamabat. His obicem positurus Rex Conradus, ac porro ab Alberto Vrso concitatus, contendit Goslariam, Brunswicum & reliqua Ducis castra occupaturus. Henricus tum agebat in Svevia, deque Regis proposito factus certior, publice fecit denunciari, se solennem conventum in certa urbe celebraturum. Interea assumptis tribus fidelissimis viris, mutato habitu noctu

Et iter aggreditur, ac per medias hostium catervas dilapsus quinto die Brunswici comparet, suorumque animos ante non parum consternatos confirmat. Jam castra Regis erant in proximo, & ut Helmoldus ait, *in loco qui dicebatur Heninge*: qui procul dubio est pagus Heiningen, ubi habet monasterium virginum diœcesios Hildesienfis. Sed postquam Conradus Rex accepit Henricum feliciter reversum, diutius progredi sustinuit, ac ommissa obsidione Brunswicensi Goslariam revertitur. Helmoldo jamjam laudato narrationem hanc debemus, quem vide *lib. I. cap. LXXII*. Alberti Stadenfis nimis concisa sunt ad annum CIOCLI. *Dux (Bojariæ) frater erat Regis, & vitricus Ducis Duce existente in Svevia, & vitricum impugnante, Rex tetendit in Goslariam, Brunswik arrepturus. Dux mutata veste cum tribus venit Brunswik, & Rex rediit. Confer Krantzium Saxonia lib. VI. cap. XIII.* 1151

LXXXVII. Qui sequebatur annus CIOCLII. Conrado Regi ac Imp. fatalis est: cumque eidem a Germanis successor daretur Fridericus I. Sveviæ Dux, ac is Henricum Leonem materno sangvine attingeret, in magnum hic Ducatum Bojaricum recuperandi spem concitabatur. Neque vero sefellit Principem hæc expectatio: siquidem post varias consultationes & difficiles tractatus res ita est composita, ut Henrico Leoni Ducatus redderetur, divulsa tamen, quæ tum pars Bojarici Ducatus erat, Marchia Austriaca cum novo Ducali titulo Henrico Leonis vitrico permissa: quod factum est anno CIOCLVI. Nec multo post Henricus Leo legatos Constantinopolitanos Brunsvicum venientes audivit: ut est apud Helmoldum *lib. II. cap. VII.* 1156

LXXXVIII. Ex eo Henricus noster plurima designavit in toga ac sago memorabilia, sed non tam ad Brunsvicum

cum nostrum, quam ad devictos Slavos & sacrorum in Nordalbingicis constitutionem pertinentia. Non mirum igitur in arce burgi Brunsvvicensis tropæi instar a se erectum leonem pro sæculi genio sic affabre satis ex ære fustum: id quod Hermannus Lerbecius in annum CIÖCLXIV. Albertus Stadenſis & membrana S. Blasii in annum CIÖCLXVI. Spangenbergius in Chron. Saxon. cap. CCXXVIII. perperam ad annum LXXII. referunt. Albertus addit insuper tum fossa ac vallo cinctam urbem. Alberti verba repeto: *Henricus Dux supra basin erexit leonis effigiem in Brunſwic, & urbem fossa & vallo circumdedit.* Krantzius Metrop. I. VI. c. XLVII. *Erexit super basin Leonis effigiem, qua hodie extat.* Vide eundem Saxon. lib. VI. cap. XXXIV. Quem tamen *lib. VII. cap. VIII.* nobis narrat leonem fusilem in sepulcro Henrici Leonis constitutum, is forte ingenii Krantziani commentum est. Hæc statua cum per temporum ac tempestatum injuriam esset collapsa, auspiciis FRIDERICI VLRICI Ducis restituta fuit, addita hæc inscriptione.

ANNO SALVTIS HVMANI GENERIS M. DC. XVI. MENS. AVGVST. ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS DOMINVS DOMINVS FRIDERICVS HVLDARICVS HENRICI IVLII FILIVS BRVNS. ET LVNEBVRG. DVX HOC ANTIQVVM MONVMENTVM GENTILITIVM TEMPORIS ET COELI INIVRIA COLLAPSVM RESTAVRARI ET PRISTINO NITORI RESTITVI CVRAVIT POSTQVAM ANNO PRÆCEDENTI VRBEM HANC ACERRIMA OBSIDIONE A. XXII. IVLII VSQVE AD XI. NOVEMBRIS CIXISSET ET TANDEM SOLVTA EA MENS. FEBR. PAX ET CONCORDIA HOMAGIO SVB IVRA.



IVRAMENTI FIDE PRÆSTITO FIRMATA ESSET  
IN REI PERENNEM MEMORIAM.

LXXXIX. Qui sequitur annus septimus & sexagesi- 1167  
mus novo Henrici Leonis matrimonio cum Mechtilde  
Anglicana (priorem Clementiam sub obtentu cognationis  
repudiarat) inclaruit, nuptiis Brunswici magnifice cele-  
bratis. Sic enim Albertus Stadenſis ad annum c10 CLXIIIX  
*Dux Henricus repudiata sorore Ducis Zaringia Bertoldi,*  
*duxit filiam Regis Anglorum, relictam Regis Francia & nu-*  
*ptias Brunswick magnifice celebravit.* Quam mire varient  
in definiendo primo hujus matrimonii anno, ostendit Hen-  
ricus Bangertus in *Notis ad Helmoldum lib. II. cap. X.*

XC. Quando autem Henricus anno c10 CLXX. cum 1170  
multis illustribus ex sacro & civili ordine comitibus (hos  
inter & Henricus Abbas Brunswicensis erat) votivum in  
Palæstinam iter fusciperet, Mechtildem gravidam reliquit  
Brunswici, quæ non multo post filiolum enixa Rikenzam.  
Arnoldus Helmoldi continuator lib. I. cap. II. *Manebat*  
*(Mechtildis) in Brunschwib omni tempore, quo Dux pere-*  
*grinatus est, quia tunc pregnans erat, ediditque filiam nomi-*  
*ne Rikezen.* In primis eam maritus commendabat fidei  
Ecberti de Wolffenbuttel, ex primaria nobilitate viri, cujus  
tamen perfidiam Dux Henricus postea expertus est. Videat-  
ur Arnoldus *d. l.* Familiam hujus Ecberti de Wolfen-  
büttel illustrat Anonymus auctor Chronici Ducum Brun-  
swicensium.

XCI. Anno c10 CLXXII. salvus & incolumis reversus 1172  
ex Palæstina Henricus multum operæ posuit in augenda or-  
nandaque Brunswico. Quamobrem diruta veteri æde in  
burgo a Ludolpho condita, novam exstruere cœpit S. Bla-  
ſio dedicatam, ac Canonicis quos vocant regularibus depu-  
tatam.

tatam. Arnoldus lib. I. cap. XII. *Revoluto anno reversus est Brunswig, & latati sunt omnes amiciejus de adventu ipsius. Erat autem idem Princeps devotissimus in ornatu domus Dei: ut in Ecclesia beati Blasii, quæ est in Brunschwig civitate. Tabula in æde S. Blasii suspensa: Anno 1172. Hesse Hertoge Hinrick de Lawe de olden Kerken up Danckquarde roda/ in de Ehre S. Peters und Pauls gewihet / laten affbreken/un einen eignen Dohm in de Ehre S. Blasii un S. Johannis laten uprichten. Membrana hujus Ecclesiæ: A. D. 1173. fundata est Ecclesia S. Blasii Episcopi quæ nunc est. Krantzius Saxon. lib. VI. cap. XXIII. Dux demolitur in burgo Ecclesiam veterem, quæ in honorem Apostolorum Petri & Pauli esset consecrata: novam molitur sub nomine Blasii & Johannis Baptiste consecrandam, quæ extat hodie. Pro ea quæ tam invaluit superstitione, novam hanc ædem Blasianam auxit multis ex Palaestina allatis aliisque reliquiis. Arnoldus d. I. Et ditavit domum Dei reliquiis sanctorum, quas secum attulerat, vestiens eas auro & argento, & lapidibus preciosis, inter quas etiam erant brachia Apostolorum plurima. Krantzius Saxon. l. VI. c. XXXIII. Descendens in Saxoniam, jam anno evoluto Brunsvvicum rediit, domum suam revisens, Ecclesiam autem multis Sanctorum reliquiis, auratis atque sericeis vestibibus exornavit, quas secum tulerat. Quæ res hodie quoque cernitur in Ecclesia Sancti Blasii ejus loci primaria. vide eundem Metrop. lib. VI. cap. XLVII. ubi consecrationem hujus Ecclesiæ a Brunone Episcopo Hildesiensi factam monet.*

XCII. Idem etiam alias in urbe ædes sacras, sed minores fecit construi, ac imprimis capellas S. Georgii & S. Gertrudis, quasdam vero reparavit. Tabula templi Blasiani: Hertoge Hinrick de Lawe hest de Capellen S. Surgen un S. Ger

S. Gertruden laten uprichten / samt andern depreliften Ge-  
bühreten. Krantzius Saxon. lib. VI. cap. XXIII. *Ecclesias in-  
ibi Dux novas exstruxit, collapsas reparavit.*

XCIII. Neque tamen in sacris tantum structuris, sed  
& civilibus fuit occupatus, ac in primis urbi adjecit partem  
illam, quæ der Hagen dicitur. Inscriptio dictæ tabulæ: He  
hat den Hagen bemühen laten. Krantzius Metrop. l. VI. c. XLVII  
*Urbem fossa & fallo circumdedit. Idem in Saxonia d. l. Fos-  
satis & muris inclusit Burgum olim oppido adjacentem. In-  
duginem quoque conjunxerat, mœnibus & fossatis circumdu-  
ctis, ubi pridem erant pomeria, rubeta, & palustria ab hu-  
more loca: quæ ille primus ex ædificata curavit habitari. In  
eo tamen peccat Kranzius, quod hæc omnia ante sacrum  
Ducis iter gesta esset putet. Chytræus Saxon. lib. XII. Hen-  
ricus Leo ædificiis & privilegiis ornandæ civitatis studiosissi-  
mus, Hagam adjecit.*

XCIV. Merito igitur suam magnitudinem Henrico  
Leoni acceptum ferre debet Brunsvvicum, ac recte scri-  
psisse censendus est Krantzius: *Auctumque est oppidum in  
eam magnitudinem, quæ cernitur hodie, ut in Saxonia ma-  
gnitudine urbis, & civium frequentia, & rerum opulentia,  
nullum illi oppidum comparetur.*

XCV. Vacabat hoc tempore sedes Episcopalis Lube-  
censis, eo non ita pridem ex Altenburgo ab Henrico Leone  
translata. Ad hanc supplendam unanimi Canonicorum  
consensu electus erat Henricus ad S. Ægidium Abbas Brun-  
svvicensis. Quem cum a Duce peterent Lubecenses, is  
difficulter admodum consensit, quod ejus fide, ope ac con-  
versatione domi suæ se indigere testaretur. Sed consensit  
tamen: adeoque Abbas, ex quo Ecclesiæ suæ per decennium  
præfuerat, eandemque nuper ex Palæstina redux non pa-  
rum

rum ornauerat, ab Ottone Decano, Arnolde Custode, Henrico Præposito Ducis Cancellario, honorifice deductus Luneburgum, ubi tum agebat Henricus, Episcopalem ab eo investuram accepit, ac porro in festo S. Johannis Baptistæ a Walone Havelbergensi, Evermodo Raceburgensi, Bernone Sverinensi Episcopis, præsentem & ipso Henrico Duce, Lubecæ consecratus est. Quod fuse enarrat Arnoldus Abbas Lubecensis *lib. I. cap. XIII.* Vide & Krantzius *Saxon. lib. VI. cap. XXIX. & Metropol. lib. VII. cap. II.*

1174 XCVI. Hactenus quidem omnia prope ad votum ac nutum Henrici fluxerant. Verum quod anno CIOCLXXIV in primis ob negatam sibi Goslariam, Fridericum Cæsarem, suæ tamen opis indigum in maximis difficultatibus relinqueret in Italia, tantam contraxit Cæsaris offensam, ut tandem utroque Ducatu exutus, vix quidem Brunsvicensem ac Luneburgensem patrimonium retineret.

XCVII. Omnem horum motuum ac fortunæ Henricianæ historiam exponere non est animus, ac multa jam occupavit summa Cl. Præsidis nostri industria in *Bardewicensi, Halberstadiensis, Lubecensi ac Luneburgensi* historiis. Nos ea potissimum repetemus, quæ ad Brunsvicum nostrum spectant propius: quæ multis periculis obnoxia, salva tamen mansit semper, ac demum Henrico vitæ annorumque saturi quietam sedem præbuit.

1180 XCVIII. Scilicet ex quo Goslaræ, sed absens, & vix ab aliis quam infensissimis hostibus majestatis damnatus anno CIOCLXXX. & Bernhardo Anhaltino Comiti, Alberti Vrsi filio, Ducatus Saxonæ, Philippo Coloniensi Episcopo militi Westphalica Leonis (utique non parvi momenti, ac ob id Ducatus titulum merita) & paulo post Bojariæ Ducatus Ottoni Dynastæ Wittelsbachio essent adscripta; nec  
cessa-

cessaret tamen Henricus leonina virtute repugnare adversariis, ac Halberstadensem inprimis Episcopum Ulricum, incendiis undique favientem coercere; ipse Fridericus Cæsar anno CIOCLXXXII. contendit in Saxoniam, bello ultimam manum impositurus. Quod autem per ericas Lunenburgenses iter faciens, Albim vellet transmittere, ut a tergo tutus sibi relinqueretur receptus, ne præsidarii Brunsvicenses eruptionem facerent, Archiepiscopos Coloniensem & Trevirenses, Episcopos Monasteriensem, Paderbornensem, Hildesiensem, Mindensem, Osnabrugensem, ac Abbatem Corbeiensem cum multis nobilibus viris in obsidione Brunsvvici in villa Leifordana ad Ocram reliquit. Paucis hoc expressit Auctor Chronici Bigaugiensis: *Coloniensis Philippus destinatur ab Imperatore juxta Brunsvyk, ne qua fieret excursio a militibus Ducis.* Item Arnoldus Lubecensis lib. III. cap. XXXIV. *Timens, ne post eum insurgerent insidia, Philippum Coloniensem cum aliis Principibus præcepit servare Brunschwig.* Hoc eo retulit Henricus Bangertus, *ac si Brunsvicum præidiis firmarit Cæsar.* Sed fieri id non potuit: quia Brunsvicum non erat in manibus Cæsaris. Quantam stragem circa Brunsvicum hic facer fecerit exercitus, querulus sermo Gerhardi Stederbergensis Præpositi commonstrat. *Regionem, ait, nostram coram nobis alieni devorabant, & a tempore messis, festo videlicet B. Margareta usque ad initium Autumni & amplius, ista mala perpeffi sumus. Vidimus enim optima queque diripi: viculos nostros succendi: rapinis nos exponi: equos & jumenta nostra depopulari, & domos nostras absque habitatore relinqui.* Et quamvis reliqui desisterent ab impiis coeptis, non quievit tamen Hildesiensis Episcopus, cui voluptati erat exhaustam & ad incitas redactam videre viciniam.

1182



XCIX. Interea deditionem fecerat Henricus Leo, ac supplex factus erat Cæsari in Luneburgensi urbe. Hinc igitur in vigilia B. Ægidii soluta quoque Brunswicensis obsidio: id quod Gerhardus Præpositus sequentibus eloquitur: *Tandem consummato malitiæ suæ tempore, cum irrecoverabiliter attriti essemus, in vigilia B. Ægidii terga vertentes castra moverunt.* Otto de S. Blasio Append. ad Chron. Ottonis Frising. cap. XXIV. *Deinde (Fridericus Imp.) contra civitatem munitissimam Brunswich aciem dirigens eam obsedit, civibusque acriter resistentibus cum minime proficeret, cæteris omnibus cis Albim fluvium ei subjectis, soluta obsidione discedit.* Fallit nos ergo Krantzius, quando Brunswicum Philippo Coloniensi ab Imp. commissum tradit *lib. VI. Saxon. cap. XLII.*

C. Jam sequitur Henrici Leonis exilium Anglicanum, quod mitigavit foceri benignitas & Mechtildis puerperium. Nam natus est apud Wintoniam Wilhelmus, felicissimus ille Ducum Brunswico-Luneburgensium sator. Absenti autem patrimonium Brunswicense ac Luneburgense mansit. Quo pertinent Variloqui Antiquitatum Erfordiensium MS. a Cl. Præside in *Bardewico cap. VI. §. LIX.* emendata verba. Neque tamen dono recepit ab Imperatore Brunswicensem & Luneburgensem agrum: quæ est Vbbonis Emmii sententia *lib. VII. Rerum Frisicarum*: sed ejus possessio ipsi fuit confirmata. Quod perspicue docet Arnoldus Lubecensis *lib. II. cap. XXXVI.* *Hoc tamen circa ipsum dispensatum est, ut patrimonium suum ubicunque terrarum fuisset, sine omni contradictione liberrime possideret.* Quo referas illam distinctionem Anonymi de Ducibus Brunswicensibus, inter Ducatus Saxonix & Bavariæ, quos a Patre acceperat, & proprietatem in Brunswigh, quam

quam a matre: & quod Krantzius scribit Metrop. l. VII. c. IX. *Reliquit illi Imperator magnam Saxonie partem, quæ illi de maternogenere pervenit: quam hodie tenent posteri ejus omnes Principes, qui de domo Brunswicensi censentur: quem & vide Saxon. lib. VI. c. XLV. Et hæc Gobelini Æt. VI. c. LXI. Imperator movit exercitum contra Brunswick, Dux Romani Imperii vires non sustinens, consilio Principum, potestati Imperatoris se dedit cum urbibus & castellis: concessis sibi tantummodo Brunswick & Luneborch.*

CI. Anno CIÖCLXXXV. ad exitum vergente Henricus 1185  
 noster ab exilio Anglicano reversus, Brunswici fere commoratur. Arnoldus lib. III. cap. XII. *Hac serie temporum, Dux Henricus transactis diebus peregrinationis suæ reversus est in terram patrum suorum, & sedit in Brunswick, contentus patrimonio suo.* Vid. Krantzius Saxon. lib. VI. c. XLIX.

CII. Quandoquidem vero Henricus Fridericum Cæsarem urgeret, ut, quæ per vicinos Principes ac præcipue Bernhardum Saxonie Ducem patrimonio detracta, sibi redderentur, in comitiis Goslariensibus anni CIÖCLXXXIX. 1188  
 decrevit Cæsar, ut contentus esset partiali restitutione, vel in militiam sacram comes, a reditu in integrum restituendus, vel denuo per triennium exulatum iret cum Henrico primogenito. Dux postremum eligens, iterum concedit in Angliam, relicta Brunswici conjugæ Mechtilde, quæ paulo post ibidem fati concessit. Arnoldus lib. III. c. XXIIIX. *Ducem etiam Henricum (Fridericus Imp.) illuc (Goslariæ) adesse voluit, ut quia discordia non parva inter Bernhardum & ipsum pro Ducatu erat, pacem inter ipsos aliqua conditione juxta decreta Principum reformaret. Duci tamen Henrico trium optionem dedit, ut aut dispensationem in particulari quadam restitutione pristini honoris pateretur; aut*  
*verbia* secum

secum peregrinatum in expensa Imp. iret, postea plenarie restituendus, aut terram per triennium tam pro se, quam pro filio equivoco abjuraret. Dux tamen magis elegit terram exire, quam vel ire, quo non vellet, vel honore pristino nulla diminutione mutilari. Gerhardus Stederburgensis in Narratione de Henrico Leone: Imperator ab odio nobilis Henrici non cessavit: quia antequam expeditionem arriperet, conventum Principum in Goslaria habuit, ubi jam dictum Henricum Ducem trium annorum exilio deputavit, ipsum & omnia sua infirmissima pace constituens. In proximo Pascha Henricus Dux exfulavit, Machtilden Ducissam filiam Regis Anglorum post se relinquens: quæ eodem anno in vigilia Apostolorum Petri & Pauli defuncta est. Membrana S. Blasii: A. D. 1188. Obiit Domina nostra Mechtildis fundatrix. Ac iterum: A. D. 1188. dedicatum est altare S. Mariæ in choro. Prius tamen in annum sequentem non immerito refert Henricus Meibomius in Notis ad Gerhard. CIII. Dum Fridericus Imp. in Syria agit, filius ejus Henricus VI. procurator Germaniæ relictus favet Leonis adversariis patrimonium ejus diripientibus. Re apud Anglos intellecta, Henricus præmissum filium sequitur Lubecam, Lauenburgum & Bardewicum occupat, & hanc urbem, exceptis sacris ædibus, solo æquat. Sed Henricus Rex majora timens Leonis incrementa, ope Moguntini Conradi Wittelsbachii, Adelhogi Hildesiensis, Bernhardi Ducis Saxoniae, aliorumque Principum, Brunswicum obsidet, circumjacentes agros vastat. Quod autem Henricus junior in tempore cibaria intulerat, nec quidquam profecerunt obsidentes, imo nec casas suburbanas, nulla fossa vel vallo cinctas, sed sola sagittariorum & lanceariorum virtute defensas exurere potuerunt. Ne tamen toto patrimonio excideret



cideret Henricus, placare constituit Regem, obsides duos filios Henricum & Luderum ei tradens: quorum alter in Apuliam Regi militaturus abiit, alter apud Augustam urbem vitam finiit. Testem de iis habemus Gerhardum Stederburgensem, exceptione omni majorem: adeoque expungendum est sphalma membranæ Blasianæ, Luderi pueri obitum in annum CIOCLXXVII. referentis. Arnoldus *lib. IV. cap. III.* pacis conditiones exponit, & has inter *muros Brunswici in quatuor partibus deponendos.* Quod mirum non est detrectasse Leonem. Arnoldum sequitur Krantzius *Saxon. lib. VII. cap. III.* Sed tacet Gerhardus, sive horum nescius, sive dissimulans, sive (quod facile crediderim) ex rumore, non ex vero, nata. Hermannus quidem de Lerbeke in Chronico Comitum Schauenburgensium scribit, *Henricum Leonem muros Brunswicenses interrupisse:* at veritati hoc non est consonum.

CIV. Ab obitu Luderi Henricus frater Tancredo favens, Regem deserit, Neapolin elapsus, unde navigio clanculum evasit Romam, ac post varia rerum discrimina Brunswicum ad patrem rediit incolumis. Hæc acuebant Regis animum Henrico Leoni jam tum infensum: quem hic modis omnibus ac honorifica etiam legatione placare studebat. Verum tantum aberat, ut is redderetur mollior, ut contra nihil non moliretur ad extremam Ducis perniciem. Leonis infortunium domesticorum augebat perfidia: de qua graviter queritur Gerhardus Præpositus.

CV. Anno itaque CIOCXCI. Ditericus Halberstaden-  
sis, Berno Hildesienfis Episcopi, Witikindus Corbejæ Abbas, cum magna nobilium aliorumque militum manu Brunswicum oppugnare studebant, castris in villa Leifordana ad Ocram iterum positis. Dum vero Henricum Re-

gem in dies frustra expectant, ad summam rei nihil perficiunt, paganis tamen incredibile detrimentum attulere: quod graphice describit multoties laudatus Gerhardus Stederburgensis.

CVI. Interim Brunswici ob captivos quosdam gravis oritur seditio, cuius fax & tuba erat Ludolfus a Wenden, Ducis in urbe Advocatus: qui Domino relicto, una cum filiis primo Dalhemium (Boigtsdale) & Winetham (Wenden pagus est supra Riddagshusium) evasit: cumque in jus vocatus non compareret, lata in eum sententia ad hostes accessit. Vnde Winetha ab Henrico juniore capta, agri circa Dalhemium vastati sunt. Iam in longum protrahatur Brunswicensis obsidio, obsidentibus prope gravior quam obsessis: ut non mireris illos ad æquas condiciones compulsos civitatem reliquisse. Eluxit in his tractatibus singularis fides ac industria Henrici Leonis legati, Gerhardi Stederburgensis Præpositi, horum motuum scriptoris diligentissimi, qui Ludolphum Advocatum induciis exclusum memorat. Nec mirum Ludolpho non beneficiorum modo immemori, sed mortalium ingratisimo male voluisse Henricum Ducem. Nam eo usque processit homo, ut favoribus Henrici Regis subnixus, tracto in societatem sceleris Ecberto Wolffenbüttelensi jam antea nobis laudato, prædia Ducis & Ecclesias diriperet, atque incenderet. Quamobrem Henricus filius, jussu Patris collecta valida militum manu, una cum Bernhardo Comite de Wölpa & pluribus ex primaria nobilitate viris Wolffenbütteliam obsidet, variis machinis oppugnat, & quarto die Guncelinum Ecberti filium ad deditionem compellit; occupatum castrum incendit ac solo sternit: qua in re cives Brunswicenses non parum fuere occupati. Sed & Dalhemium

mium improvise obfessum, sexto ab oppugnatione die, una cum Ludolpho Advocato patre, filioque juniore cognomine captum est, majore filio avolante. Nec minus etiam Peina, Ludolfi Comitis, sed Duci Henrico itidem adversantis, & Conradum de Rothen attrahentis castrum altera die captum, incensum, dirutum. Quando per hæc illustria facta non patris modo pristinus revocaretur splendor, sed & Henrici filii augetur gloria, dignus hic fuit habitus, cui Conradi Palatini ad Rhenum filia Agnes in matrimonium daretur, Henrico Rege frustra has nuptias volente disturbare. Idem etiam Palatinus Henricum seniores in gratiam Henrici Regis modis omnibus studebat reducere: & jam Salfeldium, quo erat evocatus, proficiscatur Leo, cum in nemore prope Botfeldiam equo lapsus ex contritione tibiæ in ægritudinem incideret. Hanc primo fictam putans Cæsar, mox veram sentiens, per Gerhardum Stederburgensem alium ei diem præfinit Tulledæ, qui nunc pagus est præfecturæ Kelbranæ in Thuringia. Huc veniens Henricus a Rege benigne receptus, ac filius Henricus feudorum Palatinorum investituram consecutus est. Mox Rege in Apuliam concedente eundem sequitur Henricus Palatinus: cujus absentiam eo gravius ferebat Pater, quod Ottonem & Wilhelmum natos, illorum avunculus Angliæ Rex Richardus, ex Palæstina redux, a Leopoldo Austria captus ac Henrico VI. traditus, ut libertatem consequeretur, una cum aliis principibus viris, donec lytrum solveretur, obsides datos desiderabat. Rediit tamen anno nondum vertente Palatinus, Patremque jam annis gravem non parum exhilaravit.

CVII. Cum vero intelligeret Henricus Leo difficilem sibi fore terrarum pridem amissarum restitutionem, ani-

animum a secularibus ad sacras potissimum convertit curas, quamque pridem funditus erexerat ædem S. Blasii, multimodis exornare studuit. Itaque præter alia pavimenti & fenestrarum ornamenta, variasque imagines Christi crucifixi statuam, elegans pro illa ætate opus, in media æde collocavit, cui quæ inclusæ fuerunt reliquiæ, sigillatim enumerantur in membrana quadam a B. Madero in *Antiquitatibus Brunsvicensibus* edita. Crucem quoque auream pretiosis geminis distinctam ac mille & quingentis marcis æstimatam huic templo dedicavit. Nec minus etiam vestimenta religioso cultui convenientia partim in hujus templi S. Blasii, partim in ceterarum ecclesiarum usus distribuit.

CVIII. Quantumvis itaque robur ac vires effœti corporis non parum detrimenti cepissent, animi tamen virtus ac perspicacia nequaquam fuit imminuta. Et ut haberet generosum pectus, quo se refocillaret, annales colligi fecit & conscribi, ac coram recitari: in qua nobili occupatione integras sæpe noctes insomnes duxit. Hac tempestate Leopoldus Austriae Dux ex equo præceps factus miserrime occubuit: cujus rei ob id hoc loco mentionem facimus, quod Wilhelmum Leonis filium quem nomine Richardi Angli adhuc habebat obsidem, paulo ante excessum ad Belam Vngariae Regem miserat, Henrico Patri reddendum: quod tamen artibus Henrici VI. fuit impeditum: qui licet crebro nuncios ad Ducem mitteret, nihil tamen eorum quæ pollicebatur, præstitit, sed vana spe lactatum in suspensio reliquit.

CIX. Ventum nunc est ad extrema Henrici Leonis & fatalem diem. Exacta nimirum anni cxcxcv. hyeme, postquam Quadragesimam sanctis meditationibus & elemosy-

mosynis absolvisset, in ipsis Paschatos vigiliis, nocte media  
 repentinus eum dolor invasit, & plus solito invaluit perti-  
 nax malum: sic ut ab eo tempore usque ad beatam *ἀνάλυ-  
 σιν* parum sentiret leniminis. Hoc in statu præterfluxit bo-  
 na pars æstatis, cumque instarent dies caniculares, immo-  
 deratori ventris fluxu cœpit laborare: qui fortassis stitisset,  
 modo medicamina voluisset admittere. Neq; silentio præ-  
 termittendum est, quod quatuordecim ante obitum die-  
 bus, in profesto S. Jacobi die hora matutina nona, subito  
 exorta ab occidente tempestate, fulgur miri acuminis ac  
 perniciousitatis apparuerit, terribili tonitru mox subsecuto.  
 Exin tegulæ lignæ tecto plumbeo ædis S. Blasii substratæ  
 ignem conceperant: ad quem restingvendum cum omnes  
 cum incondito clamore provolarent, solus ipse, quamvis  
 in proximo, & tantum non super caput infortunium, man-  
 sit imperterritus. Et ecce qui sequebatur copiosus imber  
 incendium æque ac periculum omne avertibat: ut mirer  
 Fabricium in epitome hist. Henrici nostri scribere, confla-  
 grasse turre summæ templi Brunswicensis & campanas. Sed  
 quia Dux vim morbi magis magisque aucti sentiebat, &  
 Henricum filium post mortem soceri ad Rhenum agentem,  
 & Isfridum Raceburgensem Episcopum, qui ipsi a confes-  
 sione sacra erat, jussit advocari. Hic nulla interposita  
 mora veniens, postquam cum tam difficili morbo confi-  
 etantem vidit Principem, non desit eum graviter hortari,  
 qui cœleste Numen ipsum vocantem promptus sequeretur.  
 At ille monitorum observans, quarto Nonas Augusti edi-  
 ta peccatorum confessione, sacrisque carnis & sanguinis  
 Christi mysteriis imbutus, ac porro extremo unctus oleo,  
 fatale tempus serio præstolabatur. Et mansit in illa diffi-  
 cultate per quatrimum, non querulus, non gemens, ut  
 plerumque

H

pleri-

plerique solent ægroti, sed animo erecto & præsentî: nec  
 aliam fere vocem, qui adstabant, exceperere, quam istam, *Deus*  
*propitius esto mihi peccatori.* Hanc etiam exaudivit mise-  
 ricors Deus, eumque inter manus cleri, quem sincero sem-  
 per complexus fuerat amore, ex hac luce subtractum placi-  
 deque consopitum fecit obdormire, ipsis Nonis (alii *Idus*  
 ponunt) Augusti, anno ætatis octavo & sexagesimo. Fune-  
 re rite curato, exanime corpus inter lacrimas & singultus  
 in monasterium S. Blasii deportatum, in medio pavimento  
 ante crucem, quam erexerat, ad dextrum Mathildis suæ lato  
 honorifice sepultum est: quam sepulturam prædicat Ar-  
 noldus Lubec. *lib. IV. cap. XXIV.* Ac superat etiamnum,  
 in hac æde non ita pridem renovata mausoleum illustrium  
 conjugum, una cum epitaphio, post mortem Ottonis IV.  
 posito, aureisque literis tabulæ lignæ inscripto, quo hanc  
 antiquam urbis Brunswicensis historiam obfirmamus.

HIC IACET HENRICVS, QVONDAM DVX, CON-  
 DITOR HVIVS

ECCLESIAE, DIGNVS NOBILITATE, PIVS.

MORIBVS ORNATA SIBI CONIVX EST SOCIATA

PAVPERIBVS LARGA, SIMPLICITATE BONA

INCLYTA MECHTILDIS ANGLORVM, FILIA RE-  
 GIS.

NVTRIAE ANGELICIS HOS DEVS IPSE CIBIS  
 ADIACET, OPTATVS REX HORVM SANGVINE  
 NATVS

OTTO CORONATVS, VERMIBVS ESCA DATVS,  
 HVIVS ERAT SPONSA PHILIPPI STIRPS GENE-  
 ROSA

FILIA FORMOSA, NVNC CINIS, ANTE ROSA.

QVI LEGIS HAEC METRA, MEMOR HORVM SIS  
 PETO: PENSA

QVID CARO, QVID VITA, QVID RES NISI MORS, CI-  
 NIS, VMBRA,

F I N I S.


Q. K. 395, 28.

X 190

BR

CASPA  
SS.

MAR



KODAK Color Control Patches

Kodak

LICENSED PRODUCT

3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000

Blue

Cyan

Green


Yellow

Red

Magenta

White

3/Color



ICI  
TARIO  
P. P.

GER

E. C.

